
J. D. Maior,
Scrutin. med.
Satanicæ
Cosmodixeos.
1686.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°

1.- 214.

DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4°

1 1 01 0 4 01246 1

+REX

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°

1,-214

Q. D. B. V.

SCRUTINIUM MEDICUM,

SATANICÆ, COSMODIXEOS

ſeu

Regnorum Mundi, Christo

â Diabolo monſtratorum,

(*Matth. 4. verſ. 8. & Luc. 4. verſ. 5.*)

in Materiam Exercitii Disputatorii publici,

D. 26. Menſ. Mart. manè, Horis ab 8. matut.

intra Auditorium majus inde habendi, ſiſtit

PRÆSES

IOH. DANIEL MAIOR, Phil. & Med. D.

hujusque Prof. P. Facultatis ſuæ Decanus,

& Rev^mi ac Ser^mi Holſatiæ &c. Ducis Archiater:

RESPONDENTE

LUCA STEINIO, Lubecenſi,

Philiatro.

Kiliæ Holſatorum,

Typis Joach. Reumanni, Acad. Typogr.

An. Chr. 1686.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°

VIRO

Pl. Reverendo, Præclariſſimoque,

DN. JOHANNI PETRO STEINIO,

In liberâ Sac. Rom. Imp. Republicâ Lubecenſi,
ad Ædem D. Ottiliæ
Eccleſiaſtæ vigilantiſſimo,
Fratri meo Germano animitus
colendo & dilecto,
Fraternæ Propenſionis memor,
Primitias has Academicas,
Conflictui Literario publico deſtinatas

offert

LUCAS STEIN, Lubecenſ.
Philiater.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°

PRÆFATIO.

SI quod concedi poteſt Senſibus humanis, cum Cultu DEI, commercium, & arcana ulla Naturæ, cum Rebus Fidei, uno tempore feliciùs, quàm altero, tradendis Conſpiratio; utiq; præfari non dubito, quemadmodum Muſicæ magna, vulgôque notisſima vis eſt, ad Animos, utcunque molles ac probos, Sacro quodam piæ Meditationis glutine inviſcandos; ſic ex omnibus Horis Anni, excitandæ & firmiùs conſervandæ Devotioni, commodiorem nullam esſe, quàm *Quadrageſimale Tempus*; venerabile ex Se, & per ipſum Naturæ Suffragium delectabile. Durante enim hoc, quantum amœnitatis ac renovationis adflatur Diſpoſitioni noſtræ corporeæ, per gremium Terræ, â glaciali ac Nivium rigore Se ſenſim iterum relaxans, ob vernam Radiorum Solarium gratiam, novam Campis veſtem, & Virores gramineos adſpirantem; tantum Hilaritatis piæ Menti accedit, quod in unum idemque transactorum Tædiorum hyemalium Tempus coincidere videmus, renovandam CHRISTI patientis Memoriam, quâ nil aliud intenditur, quàm ut Liberationem quoque Noſtri ex infauſtis Erebi Tenebris, & reductionem ad florida Tempe æternæ Beatitudinis, ſeriò cogitemus.

 Qui-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°

Quibus Deliciis ineſcati, conſultum duximus, *Verſiculum* quendam *Evangelii Quadrageſimalis primi*, aliquantum profundiùs inſpicere, & quantum ſalvâ Orthodoxiâ Eccleſiæ noſtræ fieri poteſt ac debet, Verba Textûs utcunq; comtiùs, quàm vulgò accidit, juxta hodierna Medicinæ Principia excutere. Quæ Verba genuino veterum Græcorum ſcribendi modo, poſt *Scaligerum*, *Voſſios*, & *Henninium*, in Scripto peculiari, *de Nummis Græcè Inſcriptis*, â Me novisſimè declarato, hoc eſt, Sine Accentu, Spiritu, Jotâque ullo adſcripto, continuâ connexionis ſerie, antiquis Exemplaribus conformi, ſic circiter ſe habent:

Matth. IV. verſ. 8.

Παλινπαραλαμβανειαυτονοδιαβολοςεισοροσυψη-
Iterum (a.) *asſumſit Eum Diabolus in Montem excel-*
λονλιανκαιδεικνυσιναυτωπασαςτασβασιλειαστȣ-
ſum valde, & (b.) *oſtendit Ei* (c.) *omnia Regna*
κοσμȣκαιτηνδοξαναυτων.
Mundi, & *Gloriam eorum.*

(a) *Asſumſit Eum.* || *Transfert* Eum; Xant. Pagnin. * Lo *conduce*, Verſio Ital. Deodati. * il *conduce*, Italica Lugdunenſium. * Tå tegh åter dieſwulen honom medh ſigh / Suecica. * *Adducit* Eum, Caſtalio. * Taketh him, Anglica. * le *transporte*, Gallica. * lo *traporta*, Italica Brucioli. * Lo lleva con Sigo (Eum *levavit* Secum) Hiſpanica, editionis Venetæ.

Aut in Parallelismo, Luc. IV. v. 5. ἀναγαγὼν ἀυτὸν. * Cum

ſubdu-

ſubduxiſſet Eum, Pagnin. & Beza * Et *ſubduxit* Eum, Junius * Eum *ſubduxit*, Caſtal. * *Conduſſe* lo, Italica Deodati & Brucioli. * Havendo lo *condotto*, Italica Lugdunenſium. * Et *duxit* Illum, Vatabl. * Leyde Hem/ Belgica Delffenſium. * L' *amena*, Gallica. * Lo *llevo*, Hiſpanica, * editionis Venetæ. vel: Y *llevólo*, Hiſpanica Cypriani de Valera * Taking him, Anglica. *

(b.) *Oſtendit Ei.* || *In Parallelismo, Luc. IV. verſ. 5.* ἔδειξεν αὐτῷ ἐν στιγμῇ χρόνου. * Oſtendit Ei — modico Tempore, Syriaca. * Oſtendit Ei — brevisſimo Tempore, Arabica * — in Tempore exiguo, Junius. * In paululo Temporis — Illi oſtendit, Perſica. * Indicavit Ei in Puncto Temporis, Pagnin. * Oſtendit ei in puncto temporis, Beza. * in Momento Temporis, Vatablus. * En un momento de tiempœ: Hiſp. Cypr. de Valera.

(c.) *Omnia Regna Mundi.* || *In Parallelismo eodem:* πάσας τὰς βασιλείας τῆς οἰκουμένης. * Omnia Regna Habitatæ, Arabica * todos los Reynos de la Tierra habitada, Hiſpanica Cypriani de Valera. * Omnia Regna Orbis Terræ, Vulgata, & Oſiander. * Tutti i Regni del Circuito de la Terra, Italica Deodati & Brucioli. * Omnia Regna Terræ, Syriac. Perſica, & Latina Pagnini, Junii, ac Bezæ.

CAPUT I.

Breviarium §. 1. *Quæſtiones Præliminares tres ſtrictim proponuntur*

§. 2. Prima, *de Oliveto, Monte Lucis, vel Trium Luminum, vocato;*

§. 3. *An in illum, & in quemnam ejus Verticem, Tentator CHRISTUM deduxerit?*

§. 4. Secunda, *An idem Eundem verè agnoverit, Filium DEI eſſe?*

§. 5. *Rationes dubitandi.*

§. 6. *Quarum potisſima, denegatam Diabolis Omnipræſentiam ac Omniſcientiam, reſpicit.*

§. 7. *Memorabilis de Luthero & Magis, Hiſtoria.*

§. 8. *Angeli boni, Diabolis intelligentiores.*

§. 9. *Ulteriores dubitandi Rationes.*

§. 10. *Objectionis metuendæ Eliſio,*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°

§. 11. *cum prætenſo Suffragio Auguſtini.*
§. 12. Tertia, *An rectè Pictores Diabolum formâ multibeſtiali deli-neent?*
§. 13. *Ratio dubitandi*;
§. 14. *& Formæ Humanæ hypocriticæ ſubſtitutio*;
§. 15. *Ejusdemque, per omnia Tentationum genera, invariatæ.*

§. 1.

AD rectè ac plenè declarandam *Cosmodixeos Satanicæ* rationem, quam feliciter ſuſcipi aut abſolvi non poſſe ſine adhibitis Medicinæ Præceptionibus, dabunt ſequentia; non inutile, imò fundamenti cujusdam, neceſſariò præſtruendi, loco habendum videtur, ſi breviter excutiantur *Quæſtiones præliminares tres*, Philologis aliàs, Pictoribus, & Theologis, comtiùs ac pleniùs diducendæ.

§. 2. *Prima* eſt: Quisnam propriè fuerit perexcelſus ille; *An Oliveti* videlicet, vel quivis alius Iudææ *Mons*, ex quo Regna Mundi Tentator CHRISTO monſtravit, promiſsis nimiùm dives, & de Rebus Domini ſui, impudentisſimè liberalis. Quem Oliveti Montem, Montium circa Hieruſalem altisſimum, ad orientale Latus ejus ſitum, diſtantemque inde viâ Itineris Sabbathici, (*Actor. I. v. 12.*) in quadam antiquâ Verſione Biblicâ, *Montem Trium Luminum* vocari, *Dapperus* (*in Deſcript. Palæſtinæ, pag. 423. a.*) autor eſt, & rationem â Tribus ejus Montis apicibus, quod hi ſurgentem cum Sole Lucem primi quaſi adſpiciant, deducit; *Auguſtinum* fortè ſequutus, cui tota iſta Montana, teſte *Buntingio* (*Itinerar. Saer. part. 2.*) *Mons Lucis* appellentur ex eo, quod illa, quemadmodum manè, Radii Solis orientis, ſic veſperi ac noctu, Splendores Templi, é regione poſiti, eminus illuſtraverint. Et ex tribus iſtis Verticibus unus depresſior, â Chriſtianis

post-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°

poſtmodùm *Mons Offendiculi* appellatus eſt; alter, utcunque celſior, ac Septentrioni obverſus, *Viri Galilæi*; tertiusq; inter hos medius, & maximè ſublimis, *Mons Adſcenſionis*.

§. 3. Unde presſius disquiri posſit; An ullus Verticum horum, & quisnam; vel utrum ulla alia circumjacentium Montanorum Judææ pars, exſtiterit Mons ille Excelſus, in Scenam Chriſtianæ Tentationis, â diabolo converſus, & *Quarantania* vocatus apud *Sandyſium* (*lib.3. Itinerar. pag 425. & 428.*) ob Quadrageſimale quondam ibi creditum Salvatoris Jejunium. Sed tale quid nec expresſum in Sacris offendimus, nec Conjecturâ ſufficiente asſequi audemus.

§. 4. *Secunda Quæstio* eſt: An Tentator, CHRISTO accedens, cognoverit Ipſum, Filium DEI eſſe? Ac de hoc aliquantulum confidentiùs dubitamus, veniam priùs implorantes â Theologis, ad quorum Cathedram directè magis talia pertinent; quantumvis Medicis quoque Biblia ſcripta ſint, Oceanum quendam Sapientiæ non Divinæ ſolùm, ſed multiplicis Mundanæ etiam complectentia. In qua poſteriore liberum cuivis relinquitur, quidvis citra Scripturam decernere, modò circumſpectè id fiat, nec contra illam. Quâ libertate proin, & *Auguſtini* ſuffragio, inferiùs citandi, freti, vero ſimile exiſtimamus, Salvatorem, quod Filius DEI esſet, haut præcisè fuisſe â Diabolo cognitum, ſed dubitanter ſaltem pro non-mero Homine habitum, reputando extraordinarium Illius (inimitabile intelligo) anachoreticum & conſtans, per ſesquimenſem, genus Devotionis, cum æque-conſtante quadrageſimali Jejunio, totoque eo tempore inviolatam inter Beſtias moram (*Marc. I. v. 13.*) in Deſerto, ob Solitudinem, Tentationibus exigendis imprimis aptiorem.

§. 5.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°

§. 5. Etenim, (I.) Si Diabolus ſcivisſet, certòque ſibi perſuaſisſet, CHRISTUM fuiſſe verum Deum ac Hominem; totus, quem cum Ipſo inſtituit, Tentationis proceſſus, Tentatio propriè non fuisſet, ſed Actio merè illuſoria & ocioſa, quoniam ipſe Tentator jam præſcivisſet, nihil per eam effectum, & fruſtra potiùs quidlibet ſuſceptum iri. (II.) Imò ne auſus quidem fuisſet, Salvatorem invadere, & opponere Se Eidem, ob notam ex Sacris diabolorum Inhorreſcentiam, qualis erat illa, quæ in Gadarenorum quodam Obſeſſo obſervabilis exſtitit, docente *Marco, Cap. V. v. 7.* ubi integra Diabolorum Legio ſic CHRISTUM alloquitur: *Quid mihi Tecum eſt, Jeſu, Fili Dei altisſimi? Adjuro Te per Deum, ne me torqueas.*

§. 6. (III.) Et quidem non facilè in Sacris expresſum reperiemus, diabolum diabolo haberi peritiorem ac ſtupidiorem, quod omnes de eodem Malitiæ atramento, Maculam ab initio contraxerint: quemadmodum tamen inter Angelos bonos Distinctio quædam Ordinum, niſi præcisè novem, â Scholaſticis numeratorum, peculiarium tamen, in Thronorum, (*Coloſſ. 1. v. 16.*) Dominationum, Principatuum, & Poteſtatum (*Eph. 3. v. 10.*) claſſes conſtituta, ac inter illos Michaëli, Titulus Archangeli, vel (*Dan. 10. v. 13.*) unius ex Principibus primis, vel primariis, attributus legitur: ſic peculiares quoque Spirituum Malorum claſſes, gradu Scientiæ, vel rerum Experientiâ diſcrepantes haberi, usque adeo â Veritate, rectâ Ratione, ipſiusve Scripturæ tolerantiâ, alienum non eſt, ut expreſſè etiam, & Autoritate (*Luc. XI. v. 15.*) & nocendi Potentiâ (*ibid. v. 22. 26.*) diſtincti colligantur. Et quidni Calliditate proin etiam, & Rerum pasſim exſtantium vel obſervabilium, majore vel minore Scientiâ?

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°

entiâ? maximè ideò, quod Omnipræſentes non ſint, aut O-mniſcii. Unde multarum Rerum, quibus ipſi coram non adfuere (*Hiob. I. v. 7.*) vel quarum notitiam ex relatione, decurſu Temporis non contraxerunt, quadam ipſos Ignorantiâ plecti, (unum magis, alterum minùs) indubiè ſequitur.

§. 7. Quam in rem notatu dignisſimum eſt, quod adoleſcens olim â Præceptoribus meis audii, & perſpicuè nunc in *Dav. Chytræo (lib. 8. Saxon. pag. 222.)* legendum ſisto, ſic ſcribente: *Magi multi, â Pontificiis paſſim, de Loco, in quo Lutherus lateret, conſulti, nihil divinare certum, DEO Eum protegente, potuerunt.*

§. 8. (IV.) Aut minimùm, Scientia dæmonum minor eſt, utpote â Fonte infinitæ Scientiæ, & univerſalis rerum Cauſæ, longiùs abactorum, quàm proborum Spirituum. Quam Ratiocinii partem, ne quid disſimulem, ex *Auguſtino (d. Civ. D. lib. 9. cap. 22.)* ſumſi.

§. 9. (V.) Utque ad Scopum propoſitæ Quæſtionis directè redeamus; Numquid aliam, quam dubiam ac incertam, Tentatoris de Deitate Sanctisſimi Eremitæ Notitiam, prodat iterata prolatio Verborum: *Si Filius es DEI*; & affatim ſeria ad illam (conditionata tamen) Provocatio? Si enim certus fuiſſet, illum, quem tentabat, Filium DEI eſſe, cur dubitativâ Particulâ, SI, Machinationes ſuas incruſtaſſet? & quæſtionem inſtituiſſet, vel Experimentum, de eo, quod ſibi jam antè eſſet cognitum? Niſi dicere quis vellet, tantam fuiſſe ſpiritus infernalis impudentiam, ut Verſutiâ ſuâ ac Strophis, etiam Cognitum DOMINUM ſubvertere, ad malum inducere præſumſiſſet. Sed ſiquidem hoc tenendum ſit, identidem dico, Tentationem propriè dictam non fuiſſe. (VI.) Quin & hoc Tentatoris Stupiditatem liquido arguit,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°

guit, quod patientiâ CHRISTI abuſus, Ipſumque â Tentatione unâ ducens in alteram, Eundem obſequi ſibi credidit, qui potiùs obſequebatur æternæ Voluntati cæleſtis Patris ſui.

§. 10. Et ſcio quidem, non deeſſe Loca Scripturæ illuſtria de Chriſto, â diabolis clarius cognito, quæ hucusq; allatis posſint objici, additâ Ratione, quod veriſimile haut videatur, Diabolorum Principem, ipſomet eo tempore, quo maximum Regno ſuo Infernali imminebat periculum, & Vaticinia de CHRISTO jam magnam partem impleta erat, adeò ſecurum fuisſe, oſcitantem ac ſtupidum, quin totum, quantus quantus erat, Orci Exercitum, ad ſufflaminandum quovis modo Opus Redemptionis, excitaret. Sed (1.) præterquam quod distinguere non immeritò poſſemus, inter ſuperficialem Operationum, foris obſervabilium, & inter accuratiorem Subjecti ipſius, vel Cauſæ operantis Notitiam; prout in ordinario ſaltem Naturæ curſu nihil quoque frequentius eſt, quàm ut accuratam ſatis aut copioſam habere posſimus ac ſoleamus diverſorum Effectuum naturalium notitiam, quorum effectrices Cauſas veruntamem plenè non ſciamus; (2.) id ſaltem ad ſalvationem Sententiæ noſtræ reponere poſſumus, quod, ut vulgò loquimur, unius poſitio, non ſit alterius excluſio, & Hiſtoria una Sacra de his aliquibus ſcientisſimis diabolis, nil deroget alteri de ſtupidioribus. (3.) Tempore Tentationis Diabolicæ, nondum aderat Tempus Dominicæ Pasſionis. Itaq; ſicut nullum tum in Corpus Christi immediatè vel per alios lædendi, diabolo conceſſum erat arbitrium; ſic & Cæcitate ipſum plusquam pharaonicâ plexum ad tempus fuisſe, ſi dicamus, minimè heterodoxum, ſpero, cen-ſebitur.

§. 11. Quæ omnia tamen, tantum abeſt, ut obtrudere

re velimus alicui, ut potiùs rectiora docentibus ſimus quamlubentisſimè cesſuri; ſatis gnari, Angelographiam, (cum Pſychelogiâ) ex S. Bibliis non peti posſe integram; ſed tantam ſaltem, quanta ad Finem, quem primariò Sacer intendit Codex, ſcitu necesſaria. Nobisq; in rem præſentem ſufficit, quod ante-laudatus *Auguſtinus (l. d. cap. 21.)* ſcribit: *Tantum eis* (Dæmonibus) *innotuit* (Dominus) *quantum voluit. Tantum autem voluit, quantum oportuit.* Et mox: *Quando ea* (temporalia quædam Virtutis ſuæ Effecta) *paululùm ſupprimenda judicavit* (Dominus), *& aliquantò altiùs latuit, dubitavit de Illo dæmonum princeps, Eumque tentavit, an Chriſtus esſet, explorans, quantum Se tentari Ipſe permiſit.*

§. 12. Quin *Tertiam Quæſtionem* Præliminarem hic ſubnectimus: cujus deciſione pariter nemini præjudicamus. *Quâ Facie* nimirum *aſſumtâ Diabolus* DOMINUM *tentans inces-ſerit*? Atque, an rectè Pictores, quidlibet figendi ſibi liberum putantes, faciant, quoties ad declarandam impudentisſimi ſpiritus fœditatem, Suillo ipſum vel Hircino Capite; Auribus Aſininis, Crocodili Pectore, ac Ventre hirto; & quemadmodum ſupernè Brachiis & Unguibus Harpyjarum, ſic infernè Caprinis Pedibus, armaturâ Vulturum inſtructis, ac retro, Caudâ Serpentum deformem exhibent; quaſi ita ſe res verè habuisſet.

§. 13. Et verò Rationi, ac Contextui ſacræ Hiſtoriæ, magis conſentaneum videtur, asſignare illi *Figuram Hominis*, compoſito ad decipiendum Vultu, Ore blando, tranquillis Moribus, Habituque toto, Oratione, & Actione hypocriticâ reliquâ, Phariſæum aliquem, Mendicum religioſum, vel Aulicum, comiter incedentem mentientis, & ab omni eo ſibi caventis quam providè, quod Salvatori famelico, ad

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°

deſtinatum divinitus Exinanitionis gradum tum redacto, ullo modo terrorem poſſet incutere, in Deſerto, per ſe etiam, ob Solitudinem ac Feras formidabili. Quin perſpicuè ſatis, in Textu noſtro Evangelico, *Attributa* quædam, non Brutalia, ſed *Humana*, accumulari cernas.

§. 14. Et *Accedere* nimirum, (*Matth. 4. v. 3.*) & *Loqui* (*v. 3, 6. 9.*) & *Ducere* Salvatorem (*v. 5. 8.*) & *Statuere* Ipſum alicubi (*v. 5.*) & *Monſtrare* eidem (*v. 8.*) ac *Promittere* (*v. 9.*) Regna Mundi. Cui Sententiæ noſtræ faventem deprehendimus *Raupium*, ab inſigni Viro, *Joh. Fabricio*, in Disputatione quadam Theologica, Altorffii habita, quæ inſcribitur, *De Sacrâ Hiſtoriâ, contra Pictorum Errores vindicatâ*; ubi (ſub finem Membri XI. pag. 16.) hæc leguntur: *Dicere ex Textu poſſumus, in Deſerto Satanam apparuiſſe ſub larvâ Mendici; in Monte ſub larvâ potentiſſimi Monarchæ; in Pinnaculo autem Templi, in ſpecie devoti Theologaſtri.*

§. 15. Quantumvis, ad iſthoc quod attinet, *An* prout Tentationum objecta ſe habuerunt, juxta illarundem ordinem quoque *diabolus Formam aſſumptam identidem mutarit?* de eo non ſine causâ dubitare poſſumus, magni inter Reformatos nominis Theologum, *Frid. Spanhemium* ſequuti, qui (*Part. 3. Dub. Evangelic. 55. ſub fin.*) ita ſcribit: *Non neceſſarium, vel Formam definire, quam induerit Tentator, vel Modum acceſſûs. Sufficit, Rem teneri, quam Scriptura deſignat: Modus ſalvâ Fide ignorari poteſt, quem non definit. Hoc indubium, blandam ſpeciem à Tentatore aſſumtam, & ad illiciendum potiùs, quàm ad terrendum comparatam. Ineptè verò Salmero ſtatuit, eum in ſpecie Sancti & religioſi alicujus Eremi-cultoris apparuiſſe in primâ Tentatione; in ſecundâ, in formâ Angeli; in tertiâ, figuram & habitum Principis, ac magni Regis aſſumſiſſe. Nam*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°

hautquaquam veriſimile, Tentatorem mutaſſe Formam. Sic enim & ſe ſuſpectum reddidiſſe, & Tentationes ſuas. Falſum etiam, illo tempore Eremi Cultores exſtitiſſe, quales ſequentia tempora produxere.

CAPUT II.

Breviarium §. 1. *Præcipuè verò hic agitur*, *QUOMODO Tentator Chriſto monſtraverit Regna Mundi?*

§. 2. *Interpretum Cespitatio, & Commenta.*

§. 3. *Nominatim biceps* Grotii *Gloſſa hanc in rem adducitur;*

§. 4. *Falſique ſuſpecta redditur, Autorum Opinionibus in Seriem ordinatam ductis.*

§. 5. Opinio I. *Coſmodixin* per Picturam *vel Tabulam Geographicam contigiſſe.*

§. 6. *Mapparum Geographicarum antiquitas.*

§. 7. *& Vegetii Conſilium de iis.*

§. 8. *Solini Itinerarium, Antonino tributum.*

§. 9. *Mappæ Geographicæ, in Luculli Porticu.*

§. 10. *Roma triumfans, Tabularum ſimilium oſtentatrix.*

§. 11. *Alexandri M. Menſores Aſiæ.*

§. 12. *Exploratorum verò exemplum, omnium antiquisſimum.*

§. 13. *Qui, quâ ratione Palæſtinam deſignaverint?*

§. 14. *Jamque, Si Diabolus uſus ſit Tabulâ, unde illam acceperit?*

§. 15. *Rationes dubitandi de Coſmodixi, per Picturam factâ.*

§. 16. *Mapparum & Geographiæ veteris imperfectio.*

I.

Quin id ſaltem præcipuè hic intendimus, ut QUOMODO *Tentator*, in ſummo Montis conſtitutus cum CHRISTO, *Regna Mundi* Eidem *monſtraverit*, conceptâ brevi Interpretatione (maximam partem Medicâ) ad tantò ſolidiorem Contextus Biblici intellectionem, declaremus.

§. 2. Nam hic mirè cernas torqueri *Interpretes*, uno

 hanc

hanc , alio aliam Viam euntibus , & neſcientibus penè dixerim, quid vel ſtatuere debeant, vel loquantur. Quâ poſteriore cenſurâ imprimis plectenda non immeritò venit Gloſſa marginalis ad *Luc. 4. v. 5.* in Verſione Latinâ *Bezæ*: utpote quā Gloſſam vix Grammaticè ſaltem capias, ut genuinus Autoris ſenſus ſat exinde valeat elici. Quapropter libet, *Opiniones* diverſas convehere, detractaq; ipſis putatitii Veri larvâ, noſtram Sententiam denique ſuſtituere, Veritati magis conſentaneam, captu perfacilem, juratâ quaſi, (quod mirum) â reliquis quaſi omnibus oſcitantiâ neglectam, & Modis loquendi Biblicis, totique Tentationum Hiſtoriæ longè accuratiùs, quàm ulla alia, convenientem.

§. 3. *Prima Opinio*, magni Eruditorum Primatis, *Grotii* eſt, in Notis ad N. T. ſuper hæc Verba Textus (*Oſtendit Ei omnia Regna Mundi*) Quibus amphicephalum vel ambiguam hanc Gloſſam ſuperaddit: *Quaſi in Picturâ ponens omnem, qui usquam eſſet, Regiæ fortunæ apparatum. Nam neque Oculos, neque vim imaginatricem Chriſti illuſam puto: ſed potiùs â Dæmone effictas quasdam Imagines Rerum, quæ* εἴδωλα *Græci vocant, & exponunt* Φαινόμενα ἐν τῷ ἀέρι, Φαντάσματα.

§. 4. Ex quibus Verbis manifeſtam *Autoris* cespitationem elicias, quàm parum videlicet Ipſe ſibi conſtet. Etenim tum Gloſſam iſthanc ſuam cum τῷ QUASI exorditur, celebri affatim Improprietatis proditrice Particulâ; tum in exprimendâ Cosmodixeos ratione, non unâ, ſed dupliciViâ ingreditur, de *Picturâ Mundi*, CHRISTO oblata, ſibi perſuadens; & eadem etiam inſuper habitâ, e veſtigio, neſcio quid Vaporoſi, quæve aut quanta Mundi Idola, in Aëre & adſpicientium Imaginatione pendentia, ſubnectens. Quam bicipitem Gloſſam diſtinctim proinde rimabimur, & diverticu-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°

ticula Interpretum reliqua, ordine perſequuturi ſumus.

§. 5. Per *Picturam* itaque CHRISTO oſtenſam, quid *Grotius* Sibi imaginetur, non concipere poſſum aliud, quàm Sciagraphiam aliquam, vel Delineationem Mundi, pictrice Manu in Tabula expreſſam: cujus generis *Mappæ Geographicæ*, Regionum Orbis exhibitrices, non tantum hodie frequentiſſimo in uſu ſunt; ſed jam olim quoque habebantur.

§. 6. Et quemadmodum earum, ſic Geographiæ totius Originem, minimè novitiam eſſe, ſed ex multis jam Seculis repetendam venire, partim *Varenius* (*Geogr. lib. 1. cap. 1. pag. 7.*) nos admonet, partim Exemplis ab Ipſo adductis, ac indiciis, quæ nos adjiciemus, aliis mox patebit.

§. 7. Quorum (ad Antiquitatem ſpectantium) recentiſſimum eſt hoc, quod *Vegetius*, qui Seculo IV. florens, ſuos de Re Militari Libros ad Imperatorem Valentinianum ſcripſit, in uno eorum, â Duce bellico, Expeditiones ſuas campeſtres feliciter ſuſcepturo, inter alia quoque id requirit, ut *Deſignationes Viarum*, & *picta Provinciarum Itineraria* in promptu habeat. Verba ipſa apud *Nobiliſſ. Dn. D. Sam. Reyherum*, (*Matheſ. Moſaic. cap. 32. pag. 613.*) citata legas.

§. 8. Vegetio paulùm antiquior *C. Julius Solinus*, Geographus Latinus. Etſi enim, quando hic vixerit, accuratò determinare *Gerhard. Joh. Voſſius* (*de Philologiâ, cap. XI. §. 10. pag. 57.*) non audeat: Plinio tamen, qui Anno Chr. 77. vel 79. in horrendo Veſuvii Incendio periit, non multò juniorem fuiſſe, ſuſpicatur, & transſcripſiſſe ex illo ſua Geographica. Unde ſunt, qui Plinii Simiam appellent. Autorque â laudato *Voſſio* (*d. Scient. Math. cap. 43. §. 9. pag. 249.*) cenſetur *Itinerarii, Antonino Auguſto tributi*: de quo Itinerario, *Provinciarum Deſignationibus* inſtructo, *Voſſius* aliquantum diſtinctius ex Paulo Merulâ, judicium ſubnectit.

§. 9.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°

§. 9. Et adhuc antiquius argumentum, jam LXXI ante N. C. Annis, petere habemus ex eo, quod, monente *Varenio* (*l. antè d.*) *L. Lucullus*, qui vixit tempore Mithridatis, Ponti Regis, & grave cum eo Bellum geſſit, multas Romæ in Porticu Tabulas Geographicas habuit, â quovis publicè conſpiciendas.

§. 10. Aut indiſtinctim, qualicunque ævo, Gentium Triumfatores, Romani (teſte eodem *Varenio*) ſoliti ſunt, devictâ aut ſubjugatâ Provinciâ aliqua, Chorographiam ejus, in Tabulâ expresſam, & Signis claris illuminatam, in Triumfo monſtrare ſpectatoribus.

§. 11. Imò *Alexander*, ipſis duobus Seculis, cum Semisſe, & quod excurrit, Lucullo prior, in Expeditione ſua Aſiatica, duos ſecum duxit Menſores Itinerum, ac Deſcriptores, Diognetum & Betonem, ut ex *Plinio* (*lib. 6. cap. 17.*) discimus.

§. 12. Atque nullum, in tota Rerum, retrò actarum Hiſtoria, exemplum vetuſtius, facilè producetur eo, quod in Sacris de *Joſuâ* legimus. De hoc enim (*Joſ. 18. v. 4.*) ſcribitur, quod emisſi ab ipſo, ex quavis Tribu *Exploratores* terni, in Palæſtinam, vel Terram promisſam fuerint, qui iſthac transeuntes, Itinera omnia Chartæ inſcriberent. Et Regiones videlicet, (*v. 17.*) & earum Terminos aut Fines, (*v. 11.*) & Maria, (*v. 19.*) & Montes, (*v. 13.*) & Clivos vel Adſcenſus, (*v. 17.*) & Valles (*v. 16.*) & Flexus Jordanis, (*v. 12. 20.*) & Fontes, (*v. 15.*) & Pagos, (*v. 24.*) & Urbes (*v. 27.*) & Munimenta, (*cap. 19. v. 29.*)

§. 13. Illudque fecerint, niſi ope Acus Magneticæ, quæ tum ignota erat, vel accuratioris ullius Adminiculi alterius; per nobilisſimum tamen quendam Modum Aſtronomi-

nomi-

nomico-Geographicum, ut ante-laudatus *D. Reyherus* decernit, alium, præſupponentem Obſervationes Aſtronomicas, quibus eliciebatur Longitudo & Latitudo cujusvis loci, chartæ inſcribendi; aut Geodætico-Geographicum, per Paſſus, in Itinere obſervatos; aut per Menſulam Geodæticam, aut Cameram Obſcuram.

§. 14. Ut proinde, ex declaratâ hucusque Tabularum Geographicarum antiquitate, pro defendendo *Grotio*, ſuſpicari quis posſit, ut Diabolus CHRISTO Regna Mundi junctim ſpectanda offerret, uſum fuiſſe Tabulâ iſtiusmodi. Eâque non tam fictâ ex Nihilo; talem enim ac tantam potentiam quis Enti creato ſobriè tribuat? vel momento factâ, ita enim Lineæ, Terminorum deſignatrices, priùs & poſteriùs ductæ in Tabulâ, coætaneæ fuiſſent, quod eſt abſurdum; quàm undecunque transſumtâ, & furtim ſurreptâ ex Atrio quodam Principis, longiùs disſiti, vel Pulpito Viri eruditi, aut cujuscunq; Hominis curioſi alterius.

§. 15. Sed, ſi Tabularum uſum antiquiorem etiam ſciremus; quò minùs tamen quis certò ſibi perſuadeat, Coſmodixin â diabolo factam fuiſſe per Mappæ Geographicæ prætenſionem, hæc meritò obſiſtunt: quod videlicet (1.) Scripturæ Silentium, eâ de re, habeatur omnimodum, & Textus Sacer, non Imaginem aut Exemplar Regnorum Mundi, ſed Regna ipſa monſtrata, clarè dicat. (2.) Inutilis prorſus ac navioſa fuiſſet, CHRISTI á diabolo, per tale quid tentandi, in Montem, adſcenſu difficilem, deductio, cum Oſtenſio Picturæ Regnorum Mundi affatim in Locis Deſerti humilioribus fieri potuisſet. (3.) Antiqui Geographi, non tam in Orbe toto, utpote nondum Ipſis cognito, quàm Regionibus peculiaribus, & ſpecialibus Locis deſignandis, tantùm occupati fuerint.

§. 16. (4.) Et quidquid deſignarunt, Manu minùs felici effecerint, *Mappas* conſtituendo *imperfectas* admodum, incomtas ac mutilas, ſuffragante *Varenio*, quem ſupra citavimus, cujus hæc ſunt Verba: *Cæterum valdè manca, imperfecta, & Falſitatibus plurimis ſcatens Geographia Veterum erat: quoniam ignorabant has, quæ non infima, ſed præcipua ſunt cognitionis, Telluris partes: (vel ſaltem non habebant certam de iis Experientiam.)* (1.) *Totam Americam.* (2.) *Terras Septentrionales.* (3.) *Terram Auſtralem & Magellanicam.* (4.) *Terram circumnavigari poſſe, & Oceanum continuo tractu ambire Tellurem.* (In quâ opinione quidem Antiquorum aliquos jam tum fuiſſe, ipſemet Autor concedit, ſed certò ſciviſſe pernegat.) (5.) *Zonam Torridam habitabilem eſſe, & ab infinitis Populis habitari.* (6.) *Telluris dimenſionem veram.* (7.) *Africam poſſe circumnavigari, & Auſtralem Africæ partem.* (8.) *Regionum remotarum veris Deſcriptionibus carebant tam Græci, quàm Romani, atque innumera falſa & fabuloſa de Populis in Aſiæ Termino, atque Septentrionalibus Locis, ſcripta reliquerunt,* &c. &c.

CAPUT III.

Breviarium: §. 1. Opinio II. *Coſmodixin factam eſſe per* Idola in Aëre apparentia.

§. 2. *Diaboli vis magna in Naturalibus;*

§. 3. *ſed circumſpecte judicanda.*

§. 4. *Rationes Dubitandi dictæ Opinioni contrariæ.*

§. 5. Prima, *ab Atomorum penuria; ab impoſſibili Totius & Partis Localitate eadem,*

§. 6. *& à præviſo à Satanâ Succeſſu Tentationis dubio, petitur.*

§. 7. Secunda, *à Prodigiorum præſumtu facili,*

§. 8. *& ſimiliter præviſô Tentationis Succeſſu irrito:*

§. 9. *ut &* Tertia.

§. 1.

Tum & *Alteram*, ſive Grotii tantùm, ſive aliorum inſuper quorumvis Interpretum, ſpecioſiorem priore licet, & proniores ob id, Seculi applauſus facilè inventuram *Opinionem*, quando & hanc profundius ſcrutamur, admittere verumtamen haut posſumus, exiſtimantium, ad Regna Mundi CHRISTO repræſentanda, â Dæmone *effictas* fuiſſe *quasdam Imagines Rerum* (ita *Grotius* loquitur) *quas* Ἔιδωλα *Græci vocant, vel Phantasmata, in Aëre apparentia.*

§. 2. Quamvis enim negandum non ſit, Diabolum quandoque, permiſſu (*Hiob. I. v. 12.*) DEI, inuſitatos ac miros, præſtigiatoriis Artibus, in diverſi generis Elemento producere Effectus poſſe: & Tempeſtates videlicet ac Ventos, Terrâ (*ibid. v. 19.*) Marique (*Marc. 4. v. 37. & Luc. 8. v. 23.*) ciere, cum Igne fulmineo, (*Job. I. v. 16.*) & concitare hinc inde Spectra plus minus tumultantia, & Corpora varii cenſus clam ſuffurari alicubi, & alior ſum transportare; & invadere, truculenterque afficere ipſos Homines ac Beſtias; & Aquas, Fruges, ac Agros intoxicare; & injicere Homini Stuppam, Cretam, Carbones, Feſtucas, Straminum Segmenta, multaque alia, imperceptibili ratione (confer *Helmontium, Cap. d. Injectis Material.*) ad Loca ſubcutanea abſcondere; imo Minutias Corporum, quas Effluvia vulgò vel Atomos, aut Particulas Elementorũ inſectiles dicimus, vagis Motibus *in Aëre* dinatantes, ad Syndromen talem ac Stationes reducere, ut non minùs in potiore Meteororum ſede, vel Regione Nubium, Oſtenta alicubi refulgeant, & portentoſæ Rerum Imagines; quàm cominus Homines aliqui, (maximè pientiores) Spectris ac Larvis clarè conſpicuis, comitantibusque ipſos *Idolis* quibusdam *Aëreis*, eorundem Vultum exactè re-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°

ferentibus, videntes ac vivi divexentur; & hoc pacto Tentator, in Vertice Montis conſtitutus cum Chriſto, eidemque oſtendere volens Splendores Mundi, videri posſit, ex turbidioribus Atmoſphæræ Portiunculis, prodigiosè â Se in ordinem aliquem redactis, finxisſe *Idola quædam, & Phantasmata, in Aëre apparentia*, quæ ſive Judæam mentirentur, cum Regionibus finitimis, ſive præterea Orbis habitabilis Partes reliquas.

§. 3. Præterquam tamen, quod partim circumſpecti esſe debeamus, in caſibus enodandis, ubi Scriptura Rem dicit, ſed Modum non definit; partim aliàs cavendum, ne Diabolo nimiæ quædam aut nimiùm frequentes in Naturam Vires, â DEO concesſæ tribuantur, (quando enim indemnes aliâs ſuperesſemus â ſævis illius machinationibus?) cumque Horrore ſuperſtitioſò ad quidvis inſolitum, vitanda meritò ſit Credulitas nimiùm-facilis, circa Traditiones ac Hiſtorias Præſtigiarum Dæmonis, in hunc usque diem communiter occurrentes; cum multa in talibus ſubesſe ſoleant, ab indoctioribus plerumque viſa, aut videri credita, vel audita, per præjudicium iners facilè arrepta, indeque aliis narrata, & immanibus Glosſis aucta, unoque verbo, imaginaria ac falſa: quò minùs hic, *Regna Mundi* CHRISTO *monſtrata* putemus, per modum Idoli Aërii, ſequentes præſertim, ut ſpero, Rationes tres evincent.

§. 4. Aut enim (I.) Majora (vel paria) quoad Magnitudinem, Regnis Mundi, Idola iſthæc fuerunt, aut Minora. (II.) Eadem, aut in Subimi, (vel circa Montem) pendulè fuerunt exhibita, aut in humilioribus, ac circa Radicem Montis. (III). Aut erectim, & perpendiculariter, aut ſupinè ac horizontaliter ſe habentia, â Diabolo efficta.

§. 5.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°

§. 5. (I.) *Si Majora aut Paria*; Idolum Orbis, in Aëre, ad Judæam ſpectante, contentum, exſtiterit Continente ſuo majus. Ut verò taceam, quod rationem non habet, unde Diabolo tanta Effluviorum, ad tale quid neceſſariorum, Copia fuerit, cum vix Atmoſphæra, toti Orbi circumfuſa, ad exprimendam, eadem magnitudine, quartam ſaltem Partem Orbis ſufficiat: Non poteſt aliquid & rationem Totius habere, & contineri ſimul in Spacio Partis ſuæ. Aliàs Totum & Pars eſſent Spacio eadem; quod eſt Abſurdum: quoniam Impoſſibile eſt, Idem Simul eſſe, & non-eſſe; vel Portionem aliquam, Toti ſuo coëxtenſam, vel æquidimenſam eſſe.

§. 6. *Si verò Minora*, & velut in Epitomen contracta; pientiſſimus SALVATOR noſter, ſi Ipſum etiam ut Hominem ſaltem ſpectemus, utpote eo tempore Vir, & ditionum Judææ, Galilææ, & Jordanis (*Matth. 3. v. 13.*) affatim gnarus, ſi vidiſſet, in Locum earum, inuſitatum ullum Phænomenon, maximèq; Idolum Regnorum totius Mundi, vel Orbis habitabilis, ſubſtitutum; decipi per id vix potuiſſet, ob Novitatem ſuſpectam, & ſubitaneam nimis Iudææ, in aliud Schema metamorphoſin: & Diabolus, facilè præſagiens, fraudulentum iſtud Phantaſma è veſtigio deprehenſum iri, de obtinendo Tentationis ſucceſſu, Ipſe, antequam eam aggrederetur, ultrò dubitaſſet.

§. 7. (II.) *Si in Sublimi, vel circa Montem* (paulò editiùs ſupra Terram) exhibita fuerint; tantò magis fuiſſet hoc inſolens, & in Horrorem conjicere Salvatorem, manifeſtâ Oſtenti vel Prodigii ſpecie, potuiſſet; prout Exercituum, in Aciem ductorum, quædam Oſtenta, ipſis quadraginta diebus in Aëre, Hieroſolymis obſervata, magnam Spectatori-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°

bus ſollicitudinem peperiſſe, *2 Maccab. 5. v. 2. 3. 4.* legimus, & diverſi generis ac Eventûs Prodigia ætheria alia, humanum genus in Stupores vertentia, ab Autoribus ſacro-profanis, paſſim annotâta exſtant.

§. 8. *Si verò in Humilioribus*, ac circa Radicem Montis; Tentatio itidem, ut paulò ante, (§. 6.) fuiſſet irita, quod CHRISTUS, etiam ut merus Homo ſpectatus, offenſus confeſtim per tam præcipitem, quam dixi, Phænomeni inſuetudinem fuiſſet.

§. 9. (III.) Idemque Judicium de Modo Phantasmatis aërii tertio, h. e. *ſive Erectim* is ſe, in ordine ad SALVATORIS conſpectum, *ſive Supinè*, vel tanquam Planum aliquod horizontale habuerit, tenendum.

CAPUT IV.

Breviarium: §. 1. Opinio III. *Coſmodixin factam â Diabolo, per* Glaucoma *inductum fuiſſe.*
§. 2. *Quæ imprimis falſi arguitur.*
§. 3. *Glaucoma*, tropicè *pro Dolo:*
§. 4. *& hinc vel manifeſta Tautologia Interpretum;*
§. 5. *vel Error quoad Rem.*
§. 6. *Glaucedo* propriè *dicta*, *quid* Zootomis?
§. 7. *Eadem Cæſius quoque Color, ac unde, dicta:*
§. 8. *ejusque Quidditas.*
§. 9. *Tyberis glaucè amictus. Circe vitrea, & Pontus vitreus, i. e. glaucus.*
§. 10. *Cæſii vel Cærulei, & Cyanei differentia.*
§. 11. *Regula generalis, in Colorum judicio tenenda.*
§. 12. *Cæſius Color per Viridem malè explicatus.*
§. 13. *minùs aptè item per Fulvum, Nigro mixtum;*
§. 14. *aut Ravum. Hydropici χλωροποὶ, apud Hippocratem.*
§. 15. *Minerva γλαυκῶπις Homero ſæpius dicta.*

§. 17

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°

§. 16. *& unde?* Joh. Baptiſta Perſona, *Italus, notatur.*
§. 17. *Feles & Noctua glaucoculæ præ reliquis.*
§. 18. *Noctuæ Atticæ in Nummis.*
§. 19. *Noctuæ Danicæ in Nummis, horumque Inſcriptiones.*
§. 20. *Imò Bruta reliqua, aut quaſi omnia, putata Glaucoculas.*
§. 21. *Sed & Iris circa Popillam, Lucio piſci peculiaris.*
§. 22. *Reditus ad Oculos CHRISTI. An alia ipſis, quàm quæ nativa erat, Glaucedo fuerit affricta?*
§. 23. Ratio *negandi* una, *â Texturæ Oculorum durabilitate, & denegatâ in illos Diaboli poteſtate, petitur.*
§. 24. *Oculi Columbarum, Chriſto (& Eccleſiæ) tributi.*
§. 25. *Cæſii contrà, odio habiti.*
§. 26. Ratio altera, *ab Iridis & Pupillæ vero officio deſumta.*
§. 27. *Pupillæ Motus mirus (dilatatorio-conſtrictorius) an ſit Actio voluntaria?*
§. 28. *Locus egregius Carteſii hanc in rem.*
§. 29. *Braſilianorum Nyctalopia & Hemeralopia peculiaris.*

§. 1.

INterim ad examinandam *Tertiam*, de Cosmodixi Sataniçâ *Opinionem*, intrepidi provehamur. Eamque imprimis vulgò receptiſſimam: id involventem, quaſi Præſtigiator Diabolus, CHRISTUM *Glaucomate* circumvenerit.

§. 2. Quam verò imprimis, quò altiùs fortè multorum Animis inſedit, eò magis ſuſpectam falſi reddemus, poſtquam liquidum evadet, illi faventes, ſi dicendū, quod res eſt, neſcire profectò, quid loquantur aut ſcribant, ſive *Improprie* aut tropicè, ſive *Propriè* potiùs, ut par eſſet, Glaucomatis Vocem accipiant.

§. 3. *Si enim Tropicè*, notum ex *Plauti Milite* (*Act. 2. ſc. 1. v. 69.*) evadit, per Glaucoma quid Autor intellectum velit, ſcribens:

Et

Et nos facetis fabricis, & doctis dolis
Glaucoma ob Oculos objiciemus, eumque ita
Faciemus, ut quod vident, non viderit.

Ubi obiter nota, pro Voce *Glaucoma*, (Neutro genere) *Taubmannum* ac alios, in Fœminino, legere *Glaucomam*, ſicut Schema, æ etiam apud eundem Plautum & Cæcilium, Syrma, æ, apud Valerium, Diadema, æ, apud Pomponium, Dogma, æ, apud Laberium inveniatur, teſte *Voſſio*, (*Inſtit. Orat. lib. 5. cap. 1. Memb. I. p. 258.*)

§. 4. Atque jam dicere velle, Diabolum CHRISTO doloſè accedentem, ipſum decipere aut ſeducere contendiſſe per Glaucoma, idem mihi videtur, ac ſi quis dicat, *Dolum in Dolo conſtitiſſe*, vel Chriſtum â Tentatore, *per Modum Doli deceptum fuisſe.* Ex quo tam bellè, de Modo & ratione ſpeciali Glaucomatis, eruditi redibimus, atque ſi quis Arma Homicidæ cujuspiam deſcripturus, ponat, Cajum *Enſe* tali transfoſſum esſe, qui *Gladio* esſet per omnia ſimilis. Imò *Tautologia* ſubeſt manifeſtisſima; quid Sententiam verbo exprimere dubitamus?

§. 5. *Si verò Propriè*, prout Glaucomatis Vocem, cum *Zootomis* capiunt *Medici*, ab his etiam vel gratiam referent, vel Veniam obtinebunt nullam.

§. 6. Nam quantum ad *Zootomos*: his *Oculi Glauci* dicuntur illi, qui albido-cærulum, vel gryſeo-cæruleſcentem aut Marinum Colorem, ex peculiari ac certâ Striarum radicalium diſpoſitione in Utero jam contractum gerunt, in parte convexâ Uveæ Oculi Tunicæ, ſatis crasſæ, ex ſecretiore Imaginum Sede, vel Fundo concavo Oculi, antrorſum circulariter protenſæ, ibidem bellè variegatæ, ut *Iridem* quandam referat, in medio autē perforatæ, ad conſtituendam

Pu-

Pupillam, Luminum transmiſſoriam; & vel conſtanter Colorem illum ſervantis, vel aliquandiu poſt Partum, ſenſim quandoque eundem mutantis in alium; qui verò tantò conſtautiùs dein, per potiores Ætatum tramites, ad ingraveſcens extremum Senium perdurat.

§. 7. Cujusmodi *Color* Oculorum Glaucus, *Cæſius* quoq; dicitur. Idque non tam â *Cæde*, ut truculenti per illum notentur; ſic enim dici deberent Sanguinei potiùs, ut rectè *Voſſius*, (*in Etymolog.*) admonet: quàm â *Cælo*, quod expreſſè nos docet *Gellius* (*lib. 2. c. 26.*) ſic ſcribens: *Noſtris Latinis veteribus Cæſia dicta eſt, quæ â Græcis* γλαυκῶπις. *ut Nigidius* ait, *Colore Cæli, quaſi Cælia.* Leviculâ videlicet mutatione factâ Literæ L. in S. ſicut Annibal etiam Græcis Ἀννίβας dicitur, ex mente ejusdem *Voſſii* (*d. Literar. Permutat.*) vel aliàs in R. commigrat, in Voce *Cærulus*.

§. 8. Ac identidem dico, *Cæſium* iſtum, vel *Glaucum* Colorem Oculorum, cum indifferentiâ ad Album vel Gryſeum largiùs ſibi junctum, ex mediocris Cærulei prædominio cenſeri, ſuffragante iterum *Voſſio*, qui (*d. Matheſeos nat. ſub titulo Graphicæ*, §. 27.) ex Albo & Cœruleo pariter, notanter ipſum determinat.

§. 9. Quin jam olim *Virgilius* (*lib. 8. Æn. v. 33.*) perquam-appoſitè *Tyberi* fluvio *glaucum Amictum*, h. e. qui ad Vitri aut Maris glaucum Colorem accedat, tribuit; quam in rem ſimilis locus, â *Taubmanno* (*in Notis*) ex Paterculo adductus, videatur. Et ex Poëtis Latinis reliquis, Mari, Fluminibus, Fontibus, ac Nymphis, glaucam aut cærulam Coloris gratiã paſſim aſſignantibus confer, ſi placet, partim *Hratium*, cui (*lib. 1. od. 17. v. 20.*) *Circe Vitrea*, h. e. Colore pulcro marino, inſtar Vitri cœruleſcentis, prædita, vel rectiùs

 for-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°

forſan, juxta *Turnebum* (*lib. 8. adverſ. cap. 15.*) Maritima, & Aquarum accola dicitur; partim *Statium*, qui tum idem eidem Epitheton (*lib. I. Sylv. 3. v. 85.*) tribuit, (—— *cedant vitreæ juga perfida Circes*;) tum (*lib. 2. ſylvâ 2.* quâ Surrentinum Pollii ſui, vel Villam in Campaniâ amœniſſimam, Surrentinam, non minùs amœnè deſcribit *v. 49.*) ipſum *Mare Vitreum*, vel cœruleo-pellucidum appellat,

—— — & in Æquora Montis opaci
Umbra cadit, vitreoque natant Prætoria Ponto.

§. 10. Interim quamvis *Cæſius Color*, dictâ ratione, ſit aut planè idem, qui *Cæruleus* ſimplex, gryſeovè mixtus, aut ab eodem, quoad exilem aliquem gradum Intenſionis aut Remiſſionis, diſcrepans; cum *Cyaneo* tamen eſt minimè confundendus. *Ille* enim ſublucidus, dilutus magis, aut ſplendens eſt, cum quadam Cœruleſcentia, inſtar Vitri purioris, craſſi, vel Maris tranquilli, tempore ſereno, diagonaliter aut perpendiculariter adſpecti; vel inſtar Ætheris, ſerenè effulgentis, ut eſt apud *Ovidium* (*d. Art. Am. lib. 3. v. 173.*)

Aëris ecce Color, tum cum ſine Nubibus Aër,
nec tepidus Pluvias concitat Auſter aquas:

Hic obſcurior, & manifestò in Nigredinem magis vergens, aut, ut Platonis ſententia ſit, referente *D. Sachſio* (*Gammarol. Cap. 10. §. 25. pag. 383.*) ex Nigro admodùm ſaturato conſtans.

§. *11.* Quæ gradualis *Colorum*, ad Cæruleum, Glaucum, Album, Gryſeum, Nigrum, utcunque vergentium, *Differentia*, porrò neque eſt ad quidvis Colorum genus extendenda; ſed denominatio tam hic, quàm in connexis Doctrinæ Chromatographicæ partibus reliquis, (ubi de Mixturis Colorum tractatur,) meritò eſt â *prædominio* petenda.

§. 12. Et ſic parùm hic *Joh. Fabrinum*, Autorem Italicũ

mo-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°

moramur, qui *Cæſium Colorē* per *Viridem*, Oculis Felium ſimilē, explicat, *in Notis* ad hunc Verſum *Terentii in Hecyra*, (*3.4.26.*)

Magnus, rubicundus, criſpus, craſſus, cæſius:

non rite videlicet diſtinguens Tempus diurnum, quo cæſius, vel cœruleo-gryſeus Oculorum Color in Cattis conſpicuus eſt; á tempore Nocturno, quo idem, utpote inter Colores maximè debilis, videri ampliùs, ſub Cœrulei ſpecie non poteſt, ſed potiùs loco ejus, in Tenebris, Felium Oculi, vividâ Luce, largè ſibi ingenitâ, cum floridæ Viriditatis miſturâ, clarisſimè coruſcant.

§. 13. Nihil item *Petrum Laurembergium*, cæterà doctisſimum, moramur, qui in *Paſicompſe* ſuâ, vel Tractatu de Pulcritudine, (*cap. 12. §. 5. pag. 87.*) *Cæſii* Coloris conditionem referre videtur ad Miſturam *Fulvi* (vel Flavi) *&* *Nigri*, his Verbis: *Pulcherrimi judicantur Oculi Cæſii, qui ex Nigro & Fulvo ſunt commixti. —— Minùs pulcri Cærulei. Hæc eſt illa Nigredo, quam in Puellarum Oculis tantopere laudant & commendant elegantes Formarum ſpectatores. Apud Germanos nihil frequentius, quàm in Cantilenis amatoriis laudare Amaſiorum* Braunäuglein klar. *Præterquam enim, quod Flavedo illa, Nigredini quaſi vicina, egregie commendat candorem faciei totius; etiam tales Oculi perquamvividi, & robuſtâ videndi acie præditi ſunt.*

§. 14. Quale quid convenire videtur cum eo, quod aliàs *Ravum*, aut Raucum, (in Phonologiâ) vel obſcurum, obtuſũ, aut ex Fulvo ſplendente nigricans, (in Photoſcopiâ) dicitur. Ita enim in Textu *Hippocratis* (*lib. 2. d. Morb. Vulg. Sect. 5. init.*) h. e. de Fulvo & fulgido Colore, qualis Leonum eſt, interpretandam Vocem Χαροποὺς, quaſi χαρὰν ἔχοντες τοῖς ὠψί, ſplendorem aut gratiam habentes in Oculis, Eruditisſimus

 cen-

cenſet *Foëſius in Notis*, prolixè ibidem videndus, dictiq; Textûs Verba (ὑδρωπιώδεες χαροποί) per τὸ Aquâ inter Cutem laborantes, *Cæſios* habent *Oculos*, explicans.

§. 15. Et nobis in'ritè adæquandâ voce *Cæſius*, cum Voce *Glaucus*, quarum utraque Germanicè Blau in grau/ vel Lichte-grau / efferri poteſt, potior meritò debet eſſe *Gellii*, in antecedentibus (§. 7.) citati, Autoritas, utpote Ævo correctiori Latino (Seculo II. inter Hadriani & Antonini Pii tempora) vicinioris. Qui γλαυκώπιδος, vel Glaucoculæ mentionem injiciens, nullam ex Heroinis aut Deabus antiquis intelligit aliam, quâm Minervam, ex eo, quod ipſa apud *Homerum*, non ſolum in *Odyſſ. lib. A. v. 44.* dicatur

—— θεὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη,

vel *Dea cæſia Pallas*; ſed in pluribus aliis, tam Odyſſeæ, quàm Iliados Textibus, iſthoc Epitheto cohoneſtetur.

§. 16. Idque non temere factum â ſapientiſſimo Poëtâ, rectè judicat *Joh. Baptiſta Perſona*, Italus, in pererudito (ut ſunt reliqua, in Odyſséam conſcripta) *Colloquio 2. Noctium Solitariarū*, (ut vocat) quem totum Commentarii loco eſſe voluit in modò-citatum Homeri Verſum: neminem ante Se, â tot Seculis, fuiſſe ſcribens, qui Epitheti illius, Minervæ tributi, cauſam detegere conatus ſit. In eo veruntamen videtur, â Veri januâ quadantenus aberrare, quod Cæſii Coloris proventum, in Oculis Animalium, ex peculiari *Humorum* diſpoſitione magis, ac impuritate eorundem vel penuria, quàm ipsâ aliquâ, Humores ambiente, Oculi *Tunicâ* deducit.

§. 17. In Brutorum genere, *Cattorum* præſertim, (interdiu adſpectorum) & *Noctuarum Glaucedo*, eſt adeò celebris, ut de *iſtis* verbum addere, ſupervacaneum ſit; de *his*

verò

verò etiam abundè notum exiſtat Proverbium: γλαῦκ᾽ εἰς Ἀθήνας, quo *Cicero* quoque (*lib. 6. Famil. Epiſt. 3. fin.*) uſus eſt. Ad denotandam videlicet Rem aliquam, aliquorſum non transferendam, ubi jam ejus abundè ſit.

§. 18. Ac notanter per *Noctuas* iſtas *Atticas*, non vivas ullas indigitari, tanquam Athenis olim frequentes, conſtat, ſed Nummos, earundem Imagine ſignatos. Quorum multos, in Ære delineatos, vide ſis apud Nummographorum Primatem, *Hubert. Goltzium*, (*d. Nummis Græc. Tab. 14. & 15.*) quantumvis & aliæ Gentes, tam Aſiaticæ, quàm Europææ, atque ex his tam Veteres quædam, quàm recentiores, Noctuam aliquando in Nummis ſignaverint.

§. 19. Cujus generis, in his oris Borealibus, antecedentibus Annis pauculis, erant *Monetæ* quædam *Danicæ*, *Ululam*, Vigilantiæ Symbolum, ſimiliter, ut illæ Atticæ, *ferentes*; quarum aliquot Mihi ſunt, quâ Ereæ, quâ Argenteæ. De occaſione verò vel cauſâ, ipſas cudendi, hæreo, an Gloſſæ vulgariter ſparſæ credere debeam: & puto, quo elegantioris Scalpturæ ſunt, hoc lubentiùs in Aula, (ex Auro Argentovè factas) fallendi Temporis ergò, ad Luſum chartarum quandoque adhibitas fuiſſe. *Imago* earum *primaria* eſt, Bubo vel Ulula, pede Siniſtro ſtans, cui Chartæ quædam luſoriæ adjacent: Roſtroq; Perſpicillum gerens; & dextro Pede ſurſum incurvato, Chartas luſorias alias, mediocriter explicatas, continens. *Secundarii Lateris* verò (quod Gallico-Germanicâ Voce, *Revers* vocamus,) *Signum impreſſum*, ex collatione Nummorum, triplex occurrit. *In uno* habetur Engraphe hæc: *Je arger Schalck, je beſſer Glück. In altero* hæc: *Verſehen iſt verſpielt. Inque tertio* hæc, cum Perſpicillo, Literis ſuperimpoſito: *Zuſehn iſt das beſte im Spiel.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°

§, 20. Quin & univerſim quævis, aut pleraque *Animalia Bruta*, Autor quidam Græcus, *Polemon* dictus, pronunciat in *Phyſiognomicis*, Ariſtoteli â Sylburgio annexis, *lib. I.* diſerte ſcribens: γλαυκὰ γὰρ τῶν ἀλόγων ζώων τὰ πλέιονα. Quantumvis valdè dubitem, an asſenſum, quoad hoc, Autor ſit facilè reperturus, ob Animalium exempla, quæ in contrarium afferri posſent, fortè plura.

§. 21. Nec ejusdem generis Color, aut unus præcisè quis, in quovis Animalium genere, totum Oculi Circulum iridiformem complet: ſed duplex interdum in eodem Oculo Color prædominans reperitur. Quale quid in *Oculis Lucii Piſcis* obſervare eſt: ubi Iris, Pupillæ circumtenſa, maximam partem variegata, in loco hiatus, interpoſitá maculâ argenteâ ſuppletur.

§. 22. Quicquid verò ſit; ut de *Hominibus glaucophthalmis*, vel Iridem Uveæ Tunicæ in Oculo glaucam habentibus, & inter illos CHRISTO, pro inſtituti præſentis ratione, quammaximè dicamus; ecquis, (ſobriè philoſophaturus) ſibi imaginetur, *Glaucedinem*, (Zootomitè hucusque acceptam,) qualem hucusque deſcripſimus, Oculis Ejus obductam vel inductam â Diabolo fuisſe?

§. 23. Nam (I.) *Glaucedo* iſta, vel quivis in Uveâ Tunicâ Color alius, ut Oculis inducatur, negocium hoc aut res unicè Creatoris eſt, per inſervientem Sibi Naturam, in Fœtibus Animalium, Utero contentis, circa prima ſtatim Efformationis Partium tempora, earundem primordiales Texturas, & harum Stamina radicalia, eo modo disponentis, ut Oculorum illa Tinctura, quæ Tunicæ dictæ convexo impingitur, per increſcentes Ætatum gradus planè durabilis ſit, nec facilè, niſi in ſtatu admodum morboſo, aut Senectute ex-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°

extremâ, in aliud Schema immutetur. Aſt, Diabolo ullam unquam conceſſam fuiſſe potentiam, S. S. Corpus Chriſti & ſpeciales ac intimiores Texturas Partium Ejus, aliter atque aliter diſponendi, quàm quas â nativitate, per gradus Ætatum habuerat, in S. Codice quod ſciam, nullibi legimus. Itaque nec etiam eſt, ut de novitiâ ullâ, ac temporariâ, Oculorum CHRISTI Glaucedine, præſtigiatoriis diaboli Artibus, Tentationis ergò inductâ, cogitemus.

§. 24. Et perinde hic nobis eſt, utrum Salvatori Nigreſcens, Fulvus, Glaucus, vel Rutilus Oculorum decor attribui debeat. De quibus tamen verò ſimillimum eſt, perelegantes & vivaci quodam ſplendore, cum temperatâ Nigredine aut Fuſcedine radiantes, obtigiſſe, tum quod tales Orientalibus ferè communes ſint; tum præcipuè quod ipſum pulcerrimum præ Filiis Hominum, ipſa Scriptura (*Pſal. 45. v. 3.*) pronunciet, & expreſſè Ei in illâ *Oculi Columbarum*, h.e. puri, gratioſi, micantes, & vividi(*Cantic. 5. v. 12.*)cum Sponſâ ſuâ Eccleſiâ (*cap. 1. v. 15. & cap. 4. v. 1.*) aſſignentur. Quantumvis, ad Oculos Columbinos, Eccleſiæ etiam adſcriptos, ſeorſim quod attinet, Hebræi quoque aliter ipſos explicent, monente *Sam. Bocharto (Hierozoic. Vol. 2. lib. 1. cap. 2.)* De Caſtitate videlicet, Sponſam venuſtulam decente, prout Columba ſolum Conjugem reſpiciens, Oculos in ullum alium non convertat.

§. 25. Interim Anthropologicè iterum loquendo, per Oculos adeò pulcros, Chriſto tributos, h. e. Columbinis ſimiles, non Glaucos vel Cæſios debere intelligi, hoc affatim evincat, quod in genere illi, per naturam ſuam, aut propriè tales, h. e. pulcriores nigricantibus Oculis, non ſint; & in Hominum genere, *Cæſii Oculi* jam olim odio habiti fuerint;

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°

ut ex *Terentio* conſtat, qui ſesqui ſeculum, & quod excurrit, Nativitate Chriſti prior (namque jam Anno V. C. 595. vel Anno 2. Olymp. 155. aut Anno M. 3792. obiit) inter Signa Faciei *Cadaveroſæ*, tanquam maximè turpis & abominandæ, etiam oculos Cæſios refert, *in Hecyræ Verſu* quodam, jam ſupra (§. 12.) citato:

Magnus, rubicundus, criſpus, craſſus, Cæſius.

§. 26. (II.) Si quammaximè etiam Tentator diabolus, nativam Conſtitutionem Oculorum CHRISTI mutare, & ex Iride eorum nigro-rutilá Glaucam efficere potuisſet; ecquid hoc ad Regna Mundi, dolosè monſtranda, potiùs, quàm quidvis aliud, contulisſet? Qualiscunque enim Color Oculi, in Convexo Tunicæ Uveæ, circa Pupillam, inſtar Iridis poſitus, ordinarièque per Corneam transparens, nihil in Viſione Nobis largitur vel adimit, ad *Numerum Objectorum Viſibilium*, vel majorem vel minorem, Oculo repræſentandum; quoniam ſimpliciter ac unicè, iſthæc Oculi Tunica Uvea, pulcrè extrinſecus picta, atque intus nigra, non aliâ ratione Viſioni inſervit, aut ob aliam cauſam mobilis, h. e. pro re natâ, nunc dilatatilis plus minùs, nunc conſtrictilis eſt, quàm ut videndi vires ſolummodò moderetur, & admisſionem Luminum eatenus modificet, quatenus *Pupilla*, tanquam Feneſtra, ſive pro arbitrio, ſive impellente necesſitate, nunc paulùm contrahat ſe, in caſu uberioris Luminis, ne noxam ab excellentiâ ejus, Oculi capiant; nunc largiùs dilatetur, ubi languidius illud fuerit, (aut planè in Tenebris;) atque ſic vice Sphincteris fungatur, Anatomicis dicti, vel orbicularis (nunc ſtrictioris, nunc laxioris) Muſculi. Id quod *Carteſius* comtè, ut ſolet, his Verbis expresſit, (*d. Homin.* §. 19. *pag.* 51.) *Lumine vehementiùs agente* (Pupilla) *imminuitur, ne nimiâ Radiorum, in oculos illabentium, copiâ offendatur Nervus.*

Lu-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°

Lumine vero debiliori exiſtente, dilatatur, ut Radii ſufficientes ad Senſum excitandum ſubingrediantur.

§. 27. Quæ *Actio* quidem Voluntaria vulgò dicitur, quia generalem videndi Intentionem ſequitur: ſed profectò Speciales illæ Modificationes Motuum, quotquot ſaltem unius vel alterius Pulsûs Spacio fiunt, & ad adſpecta quævis Objecti Puncta, ineffabili celeritate, mutationes ſubeunt, non tam ex ſpeciali determinataque Videntis Intentione fluunt, quàm verè penitùs & realiter, in ipſo videndi curriculo contingunt. Quale quid ſæpe in ſimilibus Animæ humanæ Actionibus Corporeis, inque Modulatione Vocis præſertim, inter cantandum loquendumvè, non ſatis mirari potui. Imò abstruſam (etiam in his) DEI omnipotentis Sapientiam, & artificium Naturæ inimitabile, ſtupore percitus, non ſatis valeo venerari.

§. 28. Utque liquidiùs interim intelligar, quid velim, placet iterum, interponere Verba modò-laudati *Carteſii* (*Dioptric. cap. 3. §. 4. pag. 88.*) perſpicuè ſic philoſophantis: *Obſervandum, hunc* (Pupillæ) *Motum voluntarium esse dicendum, licet utplurimum à Nobis ignorantibus peragatur. Neque enim ob hoc minùs dependet, aut minùs ſequitur ex Voluntate, quam habemus bene vivendi. Quemadmodum Labiorum & Linguæ Motus, pronunciationi inſerviens, voluntarius dicitur, quoniam loquendi Voluntatem ſequitur, licet ſæpiſſimè ignoremus, qualem ſingulæ Literæ requirant.*

§. 29. *Apud Braſilianos* contrà, *Pupilla*, vel Iridis, hiatu ſuo Pupillam conſtituentis, Limbus videtur *minùs verſatilis*, ex eo, quod referente *Guil Piſone*, (*lib. 1. Braſil. cap. 2. pag. 18.*) ex Incolis quidam, Sole occidente, nonnulli Crepuſculo matutino, (Diluculo volebat dicere) videri deſinunt. Quo-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°

rum prior Affectus Νυκταλωπία, poſterior Ημεραλωπία, ipſi Græcos ſequuto, dicitur, ſic ſcribenti: *Omni quidem Anni tempore, ſed Æſtate potiſſimùm ſiccâ, quæ Aquarum exſors ſit, invadit hic Oculorum Affectus Advenas, juvenesque vix indigenas infeſtat.* Et mox: *Addo, quod intolerabilis ille Solis verticalis percusſus, ad exuſtum & torridum Littus, (quod non rarò Plantas Pedum Viatoribus comburit) Oculorum aciem vehementer obfuſcet & debilitet, usque adeò, ut ſine Specillis viridibus vix tutum ſit, meridiano tempore, apertis Oculis Littus legere.* &c. Quo ipſo de *Glaucedine naturali* jam ſit dictum ſatis.

Caput V.

Breviarium: §. 1. Glaucoma *Medicè dictum quid?*
§. 2. *Subjectum ejus, Humores & Tunicæ.*
§. 3. *Oculi Partes, in Schemate delineatæ.*
§. 4. (*I.*) Humor Vitreus *an ſicceſcendo glauceſcat?*
§. 5. *aut potius tingatur ab illapſu Viſcedinis?*
§. 6. (2.) Humor Cryſtallinus, *rectius Lens Oculi cauſtica dicendus,*
§. 7. *quomodo glauceſcat?*
§. 8. *Quod præſertim Senibus accidit.*
§. 9. *Incraſſatio Cryſtallini, vocata in dubium:*
§. 10. *cum potiùs hic dubitari de Humoris in illum Affluxu conveniat.*
§. 11. (3.) Humor Aqueus *glauceſcens.*
§. 12. *Diſcrimen inter Glaucedinem & Glaucoma, fruſtra quæſitum.*
§. 13. *Hypochyma, Hypopyum, in Humore Aqueo.*
§. 14. *Hypochymatis Differentiæ graduales.*
§. 15. *Suffuſionis incipientis Signum, varia Viſui quaſi obvolitantia.*
§. 16. *Glaucoma, Signum augeſcentis.*
§. 17. *Conſummatæ Titulus celebris, Leucoma.*
§. 18. *Glaucedo item, ab Aquei Coagulatione.*
§. 19. *Nulla in Corpore Lympha adeò pura, quin ipſi clam aliquid Viſcidi innatet.*

§. 20.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°

§. 20. (4.) Tunica Cornea *Oculi, per Somni Portam, Virgilio notata.*
§. 21. *Ejusdem Glaucoma quotuplex?*
§. 22. *Modus per Fluoris Congeſtionem, penè rarus* : Νεφέλη *dictus.*
§. 23. *Per Exſiccationem verò familiarior Operantibus ad Ignem*;
§. 24. *aut ſpontè etiam Senibus.*
§. 25. *Caliginoſa ejusdem initia.*
§. 26. *Modum excedens, in Albuginem ac Cœcitatem tranſit.*

§. I.

UT verò apud *Medicos* imprimis eſt vera *Glaucomatis* Significatio quærenda; ſic ſiquidem neque inde tutò licebit, ullam *Cosmodixeos Satanicæ* explicationem petere (ut evincere ſperamus in Capite ſeptimo,) unde tandem, Tentationem iſtam, per Modum Glaucomatis factam fuiſſe, Interpretes probabunt? Scire ante omnia debentes, in Pathologicâ Medicinæ parte, quid propriè ſit *Glaucoma? Vitium* videlicet *Oculi tale, quo Ægri Objecta Viſûs contuentur tanquam per Vitrum ſpisſum, Fumum, aut Nebulam*, ex eo, quod Partium Oculi aliqua, â nativo Diaphaneitatis ſuæ tenore deficiens, imaginativam Animæ vim circumveniat, ut fallaci iſti Phænomeno asſenſum præſtet.

§. 2. Ac in ſpecie, *adæquatum Mali hujus Subjectum*, non præcisè ſemper aut peculiariter eſt una aliqua, venuſtisſimum Viſionis Ergaſterium, Oculum humanum, conſtituens Pars; ſed ex æquo nunc *Humor aliquis*, intra ipſum contentus (unus, aut duplex) nunc anterior (pellucida) *Tunicæ Corneæ pars*, cui Tunica Uvea, eleganti Iride exornata, inque medio Hiatum rotundum (Pupillam) habens ſubjacet, Glaucedini morbidæ incunabula aut nidum præbet.

§. 3. Quæ ut liqueant clariùs, ſummariè delineatum quoddam Oculi Schema placet apponere : in quo per *Literam*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°

ram (*a*) denotatur *Nervi Optici portio*, ex Cerebro ad concavam Oculi Cameram deducta, ibique recipiendis Motuum Luminoſorum Modificationibus (quæ Species viſibiles, vel Rerum Imagines, vulgò vocantur,) inſerviens. (*b. & d.*) *Tunica Cornea vel craſſa*, Globum Oculi undique determinans. Eademque opaca, excepto anteriore Tuberculo, per quod Iris cum Pupillâ ſubtus videri posſunt. (*c.*) *Lens Cryſtallina*, *vel Humor Cryſtallinus*, vulgò dictus; cum Ligamento Ciliari.



(*e.*) *Humor Vitreus*, poſticam ſedem, intus in Oculo, occupans, & pendulam ſupra ſe Lentem Cryſtallinam ſuſtentans. (*f. & g.*) Productiones *Duræ Membranæ Cerebri*, â Nervo Optico, quem ambiebant, ſeparatæ, & ad conſtituendam totam Oculi Tunicam Corneam excurrentes. (*h.*) Elatior Corneæ pars perſpicua, Iridem cum Pupillâ ſub ſe habens, dictaque in ſpecie, *Cornea.* (*i.*) *Iridis* ac *Pupillæ* ſedes, *Retinam vel Uveam Tunicam* perforantium, quæ Tunica cæteroquin in concavo Oculi, ſub Corneâ Tunicâ, παραλλήλως fertur, ac antrorſum *Humori Aqueo* innatat. §. 4.

§. 4. Jamque (I.) dictarum Oculi Partium, (niſi omnium, plerarumque tamen) Glaucomata, & Affectus his cognatos, ut ordine proſequamur, primùm ſe ſiſtat *Humor Vitreus*, in profundioribus Oculi ſitus. De hoc equidem, habitâ ratione Viſcedinis ſuæ, & Situs, ab occurſu Cauſarum externarum, intenſius ſiccantium, remotioris, non immerito dubitatur, an glauſcere per Modum Exſiccationis posſit?

§. 5. Ipſum tamen, naturâ ſuâ clarum, ut Species puræ ac limpidæ ad medullares Nervi Optici Expanſiones deferri posſint, & ob iſthanc Perſpicuitatem ſuam, â Vitro purisſimo appellationem nactum, culpâ remanentis in ſe Recrementi, poſt privatam Nuiritionem eò, per Naturæ quendam errorem decidui, aliquando ſubtiliter tingi, h. e. tenerrimâ quadam Viſcedine albicante infici, ut ſemi-nebuloſus evadeat, certè accidit. Id quod verò, ob Situs profunditatem, in viventibus rarò dignoſci per Senſum poteſt, & potiùs demum in Sectione Cadaverum deprehenditur; ac interim aliquando pro Globi Cryſtallini pathemate habeatur. Aut certè utrumque facillimè conjungi asſolet. Unde non deſunt bonæ notæ Autores, qui ſcripto etiam utrumque conjungant, in definiendo Glaucomate, quod ſit *Vitium Cryſtallini aut Vitrei Humoris*; disjunctivâ Particulâ, *Aut*, utentes. Quod poſt *Galenum* faciunt, fideles ipſius Sectatores, *Paulus Ægineta*, & *Aëtius* (in quorum Scriptis Galenum quaſi in Summam contractum videas:) ævoque recentiore *Fernelius* (*Patholog. lib. 5. cap. 5.*) *Joh. Petrus Faber*, (*Sapient. Univerſal. lib. 3. cap. 20.*) aliique.

§. 6. (II.) Frequentisſimè verò Medici Cauſam ac Sedem Glaucomatis, ſeorſim in aliquod *Humoris Cryſtallini* vitium referunt. Quem rectiùs Globulum glacialem, vel Piſum

ſum Cryſtallinum, h. e. Portionem Oculi, Humoribus ſolidiorem, ac duriuſculam affatim quàm Humorem; aut ſi placet, *Lentem Oculi cauſticam*, poſticâ parte rotundam, anticâ depresſiorem, quovis Cryſtallo translucidam magis & puram, posſumus appellare: utut communiter Humor audiat, & *Hippocrates* (*Libr. de Carnib.*) nobilitatem illius, & Situm inter Humores medium intuitus, Ἄξιον ἡγεμὸν, vel PrincipemHumorem, tanquam præcipuum Viſus Organum creditum, cujus gratiâ quaſi reliqui facti ſint, appellet.

§. 7. Iſtamque Lentem Cryſtallinam, in Oculi medio circiter pendulam, omnium ſubtilisſimâ Tunicâ Araneâ, ponè retròque ſuſtentatam, & ratione exquiſitæ Transluciditatis ſuæ, ac Figuræ convexo-convexæ, Species viſibiles in Se inſigniter refringentem, perſæpe â naturali Puritate ſuâ deflectere, crasſiuſculam fieri, ac indurari; h. e. radicales ipſius Fibras (quas circulares, vel ſemicirculares esſe, in Piſcium Oculis, Coctura comprobat,) Humore ſuo balſamico exhauſtas, propius ſibi accedere, ſicque liberum ampliùs Radiis luminoſis transitum negando, Viſionem (in uno ſubjecto plus, in altero minùs) lædere, & hoc pacto, â gradu Puritatis ſummo, per interpoſita Obſcuritatum, ſenſim ingraveſcentium Intervalla, Glaùcedinem inducentia, tandem ad Cæcitatem ducere; usque adeò certum eſt, ut vel forishoc malum cognoſci posſit, ſi obtutus in Ægri Pupillam utcunque firmiter defigatur, utpote per quam non Nigredinem ampliùs, teſtem aliàs, ſana pleraque esſe in profundioribus Oculi, ſed Orbiculum glaucum, aut Cœruleo-candicantem, deprehendes.

§. 8. Idque in Senibus maximè, ad Exareſcentiam Corporis naturà pronis. Unde Glaucoma inter Morbos Se-

um

num jam olim relatum ab *Hippocrate* (*Sect. 3. Aph. 31.*) legimus. Quem Commentatores poſtea, ac totus reliquus Medicorum ordo, fideliter ſunt ſequuti.

§. 9. E contrario Incraſſationem hujusmodi, vel Exſiccationem Cryſtallini, Experientia non probari putat *Cardilucius* (*Officin. Sanit. Cap. 34. pag. 197. a.*) atque æquè de illa *Joh. Wallæus* (*Meth. Med. lib. 2. cap. 6. pag. 159.*) dubitat, molliter ſic ſcribens: *An verum ſit, nec ne, aſſerere non auſim.* Et Exſiccationem omnimodam forſan intelligit.

§. 10. Id verò Dubium utiq; eſt, & inter rariſſima meritò, ab ante-laudato *Fernelio* refertur, Cryſtallinum Oculi Globulum, citra ullam condenſationem ſui, Colore inſici ullo alio, & peregrinam contrahere Tincturam. Aut, ſiquidem aliquando id accidat, certè immedicabile Malum eſſe: prout ipſum Glaucoma quoque, per Condenſationem factum, Curationem reſpuens, vix quicquam Solatii poſt ſe relinquit aliud, quàm ut ingeminetur Scaligerianum illud, vel quicunque alius Autor Effati hujus eſt: *Si Senex haberet Oculum Juvenis, videret ut Juvenis.* Glaucomate interim, quod in Oculi Humore Aqueo reſidens, *Hypochyma*, alias vel *Suffuſio* dicitur, Curationem non rarò admittente.

§. 11. (III.) Et hæc ipſa Significatio Tertia eſt, Glaucomatis propriè dicti â Medicis; quâ videlicet denotatur *Humoris Aquei*, inter Cryſtallinum & Corneam ſiti, *Vitium* tale, ut eo laborantes, Externa pleraque, tanquam per Fumum, Vaporem, aut Nebulam videant.

§. 12. In quo denominando, *Caſtellus* (*in Lexico*) quidem Differentiam quærit aliquam, ut nimirum *Glaucedo* (vel γλαύκωσις) dicenda ſit, invaletudo Crystallini,; *Glaucoma* vero, vitium in Humoribus Oculi reliquis. Sed, præter-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°

terquam quod inverſim potiùs tenendum, Glaucoma lubentiùs ac frequentius de Obtenebratione dictâ Cryſtallini accipi; utrumque ſanè Vocabulum, de uno eodemque Morbi genere, junctim aliquando uſurpari legas: e. g. apud *Riolanum* (*Enchirid. Anat. lib. 4, cap. 3. pag. 283:*) *Cryſtallini Humoris craſſities & durities, propriè Glaucoſis ſive Glaucoma nominatur, quia glaucus ejus color apparet.* Vel γλαύκωμα etiam, & γλαύκωσιν, ad notandum eundem Affectum, in eadem Phraſi conjungit *Henr. Petræus* (*Noſolog. harmonic. lib. 1. Diſſert. 10. theſ. 17. pag. 194.*) Imò tres titulos eodem nexu copulari videas apud Protomedicum Romanum famigeratiſſimum, *Paulum Zacchiam*, (*lib. 8. Quæſt. Med. Legal. Tit. I. Quæſt. 7. §. 12. pag. 636.*) ſic ſcribentem: *Glaucedo dicitur Viſûs obſcuritas, quæ & Glaucoma, & Glaucoſis appellatur.*

§. 13. Quin de re ipſâ ut dicamus; *Aquei Humoris*, quem Natura æquè, ut Globum Cryſtallinum, cum ſuccumbente ſibi Humore Vitreo, limpidiſſimè purum eſſe voluit, Pathema præcipuum hoc eſt, ut ad *Glaucoma* inde judicandum, proximè retrò Pupillam, mediocris Albedo appareat. Actum ſiquidem ab Humore anomalo, ibidem congeſto fiat, latè *Hypochyma vel Suffuſio* dici potest, complectens ſub ſe *Hypopyum*, ſeu Puris liveſcentis collectionem, Opthalmiæ prægreſſæ ſuccedaneam, quam *Hypophthalmium* quoq; vocari, *Aëtius* (*lib. 4. cap. 2.*) autor eſt: *& Suffuſionem*, aliquantùm preſſius, vel ὑπόχυσιν â *Celſo* (*lib. 2. cap. 35.*) dictam: h. e. congeſtionem Humoris Mucoſi aut Viſcidi.

§. 14, Quæ ſicut ſenſim plerumque fit: ſic *Graduales* quasdam illius *Differentias*, pro diverſâ Recrementi, in Humorem decidui, copiâ vel inopiâ, craſſitie vel ſubtilitate, cohærentiâ æquali, vel raritate, conſtituendas eſſe, res ipſa docet. §. 15.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°

§. 15. Et ſic *Primus*, leviſſimus, ac imus *Gradus* nobis dicitur is, â quo *Suffuſio incipit*, Viſcido peregrino tenui diſperſim fere, in Aqueum Oculi Humorem, ſe diffundenre. Unde Caliginoſa quædam aliquandiu, eaque diſperſim quaſi, & veluti Muſcæ, Culices, Telæ Aranearum, Striæ, Flocculi, aut aliarum rerum Simulacra, oberrare videntur in Aëre; aliquando & Halones circa Lucernas obſervantur, & qualiscunque Ægrum malè habet videndi imbecillitas.

§. 16. *Alter*, in mediocritate, & augmento jam notabili, conſiſtens *Gradus* eſt, cum aliquantùm copioſiùs aut crebriùs, Adſpergo mucida ſe diffundit, & vel liberè, inter Sedem Cryſtallini & concavum Corneæ, dinatat; vel Concavo ejusdem (aut aliquando etiam Convexo Cryſtallini) uberius ſe applicans, Argenti, Perlarum, Gypſi, Nebulæ albicantis Phœnomenon, aut aliquid aliud, Aëri nebuloſo ſimile, Oculis obtrudit; ita tamen, ut nativa Humoris Aquei Transluciditas, tota non pereat aut tollatur: ſed Objecta quævis videantur quaſi per Nebulam, qûod *Glaucomati* proprium. Unde Affectus hic cæteroquin Νεφέλη quoque, vel *Nebula*, Cataracta item, (ſi præſertim inveterata ſit,) vel *Aqua*, ut eſt apud *Cardilucium* ante-dictum (*pag. 197. a.*) aut *Aquæ Deſcenſus*, appellatur.

§. 17. *Tertius*, prioribus ſuccedens, & in Perfectione conſiſtens, *Gradus* eſt, cum Humor anomalus, *Humori Aqueo* confuſus, tantam jam, circa Uveam aut Cryſtallinum, craſſitiem contraxit, atque adeò denſus, ſpiſſus, ac ſtabilis redditus eſt, ut Perſpicuitatem illius tollat, ac loco ejus, Pupillæ Color albus appareat. Quo ipſo videndi acies planè perſtringitur, ut Ægri nihil cernant. Vocaturque Affectus hic λεύκωμα vel Albugo, ob ſimilitudinem qualemcunque Albuginis Ovi cocti.

§. 18.

§. 18. Sed & citra Humoris affluxum craſeſcere, atq; inde albeſcere haut rarò Aqueum Oculi Humorem, ut Viſio turbetur, ipſique nebuloſa quædam Phænomena obſervari putentur, adeò perpetuum cenſet *Platerus* (apud *Schenckium lib. I. Obſ. Med. cap. d. Oculis, Obſ. 7. pag. 146. a.*) ut etiam Cataractæ, vel Humori in Oculos delapſuro, Vias omnes ſimpliciter deneget, ad Obſervationes â Se habitas provocans; & potiùs Malum id per Modum Coagulationis, ſuccreſcere præſumit.

§. 19. In eo autem meritò Ipſi asſenſus tribuitur, quod Lympham (etiam maximè puram) ſtatuit, â Cauſis externis (imò internis quandoque etiam) juſtò ferventioribus, coagulabilem, quatenus ſcilicet Viſcedo tenerrima, imperceptibili ratione, intra Poros Aquei Laticis dinatans, atque anteà non cohærens, ſucceſſivè dein, ob Phlegmatis portiones, â caloris exceſſu exhauſtas, propiùs ſemper ac propiùs ſibi accedendo, ſæpe-dictum Humorem Aqueum tandem mutent in Schema aliud: prout de *Lymphâ, ex Vaſis Lymphaticis*, per induſtriam *Nobiliſſ. D. Henrici â Mœnichen*, Medici Regii Hafnienſis, Amici honoratisſimi, collectâ, eademque purisſimâ item in Ductibus ſuis ordinariè visâ, ſed collectâ in Vaſculo, & Igni ſuppoſito admotâ, obſervavit, limpidum iſtum Lymphaticorum Latitem, Sero ſimilem, quod Sanguini, ex Venâ ſectâ miſſo ſupernatat, in Gelatinoſum quid mutari; laudante, ut fas eſt, Experimentum id, *Illuſtri D. Thom. Bartholino, in Defenſione Vaſorum Lymphat.* eruditisſimâ contra Riolanum, (*cap. 6. pag. 79.*)

§. 20. Atque (IV.) ſupereſt, ut de Modo *Glaucomatis* ultimo dicamus, quatenus ſcilicet illud etiam *vitio Corneæ Tunicæ* accidat, ita, ut nativa illius plus minùs vitietur Pellu-

ci-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°

ciditas, ſymbolicè denotari viſa *Taubmanno* per Corneam Somni Portam, *in Notis* ad hoſce Verſus *Virgilii* (*lib. 6. Æn. v. 893.*)

Sunt geminæ Somni Portæ, quarum altera fertur
Cornea, quâ veris facilis datur exitus Umbris;
Altera candenti perfecta nitens Elefanto.

Per illam enim Notitiárum fènestras, Oculos, quorum ambitus corneus eſt, & per Eburneam, Dentes, qui osſei ſunt, intelligi: ac plerumque quæ videntur, veriora eſſe iis, quæ Ore proferuntur.

§. 21. Jam & Tunicæ ejusdem Obſcuratio, eo progreſſa, ut Ægri quaſi per Nebulam, aut Medium non omninò diaphanum videant, oriri deprehenditur *partim* per Modum Congeſtionis vaporoſæ Viſcedinis, aut Misturam Fluoris anomali, *partim* per Inſpisſationem Texturæ propriæ, vel ejus Exſiccationem.

§. 22. Fluorem anomalum Poros Tunicæ Corneæ clam intrare, & Glaucoma toti Oculo offundere, id equidem rariùs obſervatur. Sunt tamen, qui cenſeant, aliqnando fieri, & iſtiusmodi Affectionem proin, *Nebulam* vel Νεφέλην vocent.

§. 23. Crebrius verò utique Glaucoma, vitio Corneæ inducitur, ex gr. per hujus Exſiccationem aut Corrugationem, ab Æstu externo concitatiore. Unde Vitrarii & Metallurgi incautiores, huic Malo redduntur obnoxii; & alicubi *Illuſtris Boylæus* dolet, multum incommodi Oculis ſuis, ex crebro-iteratis Laboribus Chimicis, ac Pyrotechnicis aliis, accesſisſe.

§. 24. Tum ſpontè etiam, pedetentim, ac citra culpam Subjecti-patientis, per gradus Ætatum, ſæpe-dicta Affectio

ſubrepit; radicali videlicet ac puriore (imo ſpirituoſo) Latice, pelluciditatis in Corneâ autore, ſenſim exſpirante. Unde non ſecus atque Scintilla Ignis, in pellucidam Laminam Corneam delata, Maculam opacam albam ibi relinquit ex eo, quod calore illius Humidum Laminæ in eâ parte abſumitur, Fibrillæ Corneæ, humore ſuo depletæ, propiùs ſibi accedunt, Radios luminum incidentes non ampliùs refringunt leniter, ac poſtmodùm ulteriùs transmittunt; ſed â ſuperficie ſtatim reflectunt, eâ Motuum modificatione & taxi, ut Phœnomenon Albi coloris inde reſiliat: ita ſimiliter Fibrillæ radicales, Tunicam Corneam conſtituentes, humiditate priſtinâ exhauſtæ, ſenſim ſe contrahunt, & Oculum conſtituunt, Radiis luminoſis impervium. Cujusmodi Malum, quàm ex Morbo quidem obtingere ſolet rarius; tam e contrario eſt Senibus familiare magis, ſuffragante *Fernelio* (*Pathol. lib. 5. cap. 5.*)

§. 25. Et quando ſuccreſcit, ſub ſpecie mediocris alicujus *Caliginis* aliquandiu ſiſtit ſe, ut ſemi-tenebroſa vel debilis Viſio Ægrum premat: dicta proin Ἀχλὺς vel *Caligo.*

§. 26. Quod ſi verò *Cornea*, ab Humore illapſo, usque adeò craſſceſcat, ut etiam *Alba* plùs minus reddatur, inque Pupillæ loco videatur Congelamen aliquod candicans, illamque opplens, obhærere; hoc ipſo etiam planè imperſpicua redditur, ut Ægri de Cæcitate conquerantur. Eundemque Affectum, *Albuginem* præſertim vel *Leucoma* vocant; qui Titulus cæteroquin in antecedentibus (§. 17.) jam etiam Tertio Glaucomatum generi eſt datus. Vel *Macula alba* itidem appellatur quandoque; conſpicua in Oculis, poſt Variolas eorundem, & Puſtulas ſimiles exulceratas.

CA-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°

CAPUT VI.

Breviarium: §. 1. *Quotupliciter tandem Glaucomatis Vocem Medici capiant?*
§. 2. *Illius Species ſex, aut ſeptem.*
§. 3. *Rerumque & Nominum confuſio inde nata,*
§. 4. *cum Errore quorundam: ſed excuſabili.*
§. 5. *Sex iſtæ Species, ad ſummas duas (Condenſationis Partium, & Congeſtionis Humorum Claſſes reducuntur.*
§. 6. *Via congerendi Humoris fruſtra negata:*
§. 7. *cum utique huc faciant Arteriolæ quædam, Venarum Comites;*
§. 8. *Mucus Oculi nerveus,*
§. 9. *& Meninges.*

1.

IAmque ut computemus, quantum Lucri in præcedentibus â Nobis factum ſit, per prolixiuſcule ſuſceptam *Glaucomatis Medicè dicti*, Interpretationem; & quàm parum illi Veritatem propitiam habeant, qui *Cosmodixin Diabolicam*, per morbidum id Pathema factam exiſtimant: age, majoris evidentiæ ergò, multiplices illos, quos ibi adduximus, *Nebuloſæ Viſionis Modos*, & cognatas Oculorum Ægritudines reliquas, videamus, an ad *Generalem* quendam *Conceptum* poſſimus reducere, oſtenſuri, quàm difficulter Modi illi, juxta vulgarem Gloſſam ſe explicari tolerent; & totam Rem, (in ſubſeqno Capite) non evidentem amplius, ſed palpabilem redderituri.

§. 2. *Prima* videlicet *Glaucomatum Species* eſt illa, quæ (*Cap.* 5. §. 5.) dicebatur, in Impuritate Vitrei Humoris conſiſtere, culpâ Fluoris heterogenei, cum ipſo mixti. *Secunda* (*ibid.* §. 7. & *ſequ.*) in Condenſatione Globi Cryſtallini per Exſiccationem, citra ullam ſui Perturbationem, aliunde ad-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°

miſſam: *Tertia* (§. *13. ſequ.*) in Admiſſu Humoris extranei; dicta Suffuſio in genere, Hypopyum, & Hypochyma ſpecialiter; Nebula item, Cataracta, Aqua, Aquæ Deſcenſus, *λεύκωμα*, vel Albugo. *Quarta* (§. *18.*) in Coagulatione Humoris Aquei. *Quinta* (§. *22.*) per Fluoris Congeſtionem in Corneâ, ſed rarò; dictaq; νεφέλη, vel Nebula. *Sexta* (§. *23. ſeq.*) in Condenſatione ejusdem Corneæ. Et neſcio, an *Septimam* (§. 10.) debeam addere, quæ in Collectione Humoris intra Cryſtallinum conſiſtat.

§. 3. Quin Modorum jam enumeratorum ſoli ſex, cum cognatis Affectibus, & intercedente confuſione Nominum, affatim apti nati ſunt, quorum culpâ confuſio aliqua ipſis etiam, ſive Diſcentium, ſive ad Praxin Medicam jam admiſſorum, Animis inducatur: prout haut paucos actu deceptos conſtat, Glaucoma unum pro altero, vel etiam Vitrei Humoris albidam Perturbationem, pro Amauroſi quâdam habentes.

§. 4. Cujusmodi Error tamen, ut excuſabilis quidem eſt, ob Partium affectarum viciniam, Cauſæque ac Modi, imò Remediorum plerumque (Pharmaceuticorum, intelligo) coincidentiam, ut vel maximè Argos apprehendere quandoque poſſit: eſt præcipuè tamen, ubi ad Operationes Manuales, & præconceptam in animo, Cataractæ depoſitionem deveniendum ſit, Circumſpectio addenda. Nam *Vidimus nos* (inquit *Braſſavolus*, citante *Schenckio*, *lib.* 1. *Obſ. Med. Cap. de Oculo*, *Obſ.* 7. *pag.* 147.) *Ocularium medicum, qui Glaucedines has, Suffuſiones eſſe arbitratus, deponere volens, hominem excæcavit.*

§. 5. Et ad declinandam ulteriorem Confuſionem, conſultum duximus, intricatas iſtas, Rerum & Nominum

Dif-

ferentias, ad *Conceptus quosdam generaliores* reſtringere, & conſtituere Claſſium, inde ordinandarum, non niſi duas; conſiſtentes videlicet *vel in Condenſatione* aliquâ, Coarctatione, Coagulatione, aut Exſiccatione affectæ Partis, citra ullum Affluxum Fluoris heterogenei; *vel in Congeſtione* & Mixturâ Tincturæ anomalæ, per capillaria Oculorum Vaſcula eò delatæ.

§. 6. Quas *Vias*, (ob ſubtilitatem fortè) negat quidem *Platerus* apud *Schenckium* modò citatum, *nullas dari* exiſtimans: ſed verè, perſpirabilia haut pauca ac permeabilia, quemadmodum in Corpore humano toto, undique haberi conſtat: Sic in Oculis, aut ad eos, Diverticula exiſtere, ſubtilisſimorum diverſi generis Fluorum, Transſudatione quadam eò illabentium, extra controverſiam ponimus.

§. 7. *Arteriolas* videlicet è Carotidibus deductas. Quarum exilitas, in Statu naturali, quamvis Viſum effugiat; veruntamen partim Viſu nihilominus, in caſu Inflammationis, obſervabiles ſunt, partim Ratione haut vanâ colliguntur, ex *Venulis* tam externis, in Oculi Albo conſpicuis, quàm internis, Nervum Opticum comitantibus, Sanguineque ab Arteriolis accepto turgidis. Cujusmodi *Venulis non paucis* (ſunt verba ſuffragantis noſtræ Sententiæ *Veslingii*, *Syntagm. Anatom. cap. 15. pag. 202.*) *prædita conſpicitur Choroidea vel Retiformis Oculi Tunica*: imo ſimilibus aut minoribus, ipſamet valdè ſubtilis Vitrea Oculi Tunica, ut *D. D. Th. Bartholinus* (*in Anatome Reform.*) nos admonet, donatur.

§. 8. Prætereà neque candicantes, mucoſæ, medullares, perq; Centrum Corneæ ac Retinæ, in fundum Oculi diſperſæ *Nervi Optici Expanſiones*, hinc ſunt excludendæ; utpote ad quas Spiritus lucidi, aut Lymphæ omnium defæca-

tis-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°

tisſimæ; in Statu autem morboſo, Phlegmata etiam inutilia, quandoque ſubeunt, ut etiam, judice *Aguilonio*, (*lib. 1. Optic. Propoſ. 58. pag. 61. a.*) in anteriore oculi parte, in Humorem Aqueum ſe diffundant.

§. 9. Imò *Meninges* ipſas, ex quarum productione, Medullam Nervi Optici veſtiente, tota Membranea Oculi Textura exterior contexitur, ad Oculum etiam aliquid transſudare, non ineptè decernit *Henr. Petræus*, (*Noſol. Harmonic. lib. 1. Diſſ. 10, theſ. 21. pag. 195.*)

Caput VII.

Breviarium: §. 1. *Negatur, Coſmodixin per Glaucoma, etiam propriisſimè dictum, contigisſe.*

§. 2. Ratio Prima, *à ligatâ Diaboli potentiâ, rurſum petitur.*

§. 3. Secunda, *à nondum impleto tum initiali Termino Pasſionis,*

§. 4. *expreſsè in Sacris declarato.*

§. 5. Tertia, *ab Effectu Glaucomatis, Viſionem impedientis potiùs, quàm juvantis.*

§. 6. Quarta, *à tribus Modis* Fallaciæ, *quæ Medio Viſionis tribuuntur.*

§. 7. (α.) Primus Modus; *Objecta majora exhibere, quàm ſunt.*

§. 8. *Medium Viſionis Internum etiam, certô reſpectu, in ipſo Oculo habetur.*

§. 9. *Homines, ut Arbores, à Cœco reſtituto viſi.*

§. 10. *Refractionem quoque ampliat Adſpectus ex obliquo.*

§. 11. *Regna Mundi, in Spacio ipſis minore, oſtenſa fuiſſe, eſt abſurdum.*

§. 12. (β.) Alter Modus; *Objecta minus accuratò determinata exhibere.* (*Obiter de Pictoria, Auroram adumbrante.*)

§. 13. *Coſmodixin Glaucomate factam eſſe, Confuſionem infert.*

§. 14. (γ.) Tertius Modus; *Objecta, quoad Numerum, pauciora exhibere.*

§. 15. *Finalis tandem Coſmodixeon glaucomaticarum Eliſio.*

§. 1.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°

§. 1.

SEd ad Metam propoſitæ Diſceptationis ut redeamus; Quæritur directè nunc, an Diabolus Regna Mundi CHRISTO oſtenſurus, per Glaucoma, Oculis Ejus objectum, id præſtare tentaverit eo modo, atque Glaucomatis Vocem à Medicis accipi, in prægresſis duobus Capitibus, prolixè eſt declaratum? Atque hoc ipſum eſt, quod ob ſequentes Rationes, quampertinaciter negamus.

§. 2. Nam (I.) Omnes hucusque recenſitæ Glaucedinum Species in eo conveniunt, quod ſint *Corpori* aliquid *Morboſum.* Quale quid verò excitare in S. S. Corpore J. CHRISTI, quemadmodum *infra Majeſtatem Ejus*, ſic ſupra concesſas ullas Vires Diaboli, ut jam antè (*Cap. 4.* §. *23.*) innuimus, longisſimè fuisſet.

§. 3. (II.) Atque idem directè fuisſet *ante ac citra Metam divinitus conſtituti Temporis*, quo Chriſtus, quemadmodum mori debebat, ſic pati, & obnoxium reddi, quoad Corpus, variis ac diris Satanæ Operationibus, in Curriculo Pasſionis dein, permisſu DEI, affatim exſerentibus ſe per Organa Militaria, innocentisſimum SALVATOREM, pro Noſtris Peccatis, ſævè tractantia.

§. 4. Ita enim ſonant, imminentem quondam Dominicæ Pasſionis Horam ſignificantes Textus Biblici: *Matth.* 26. *v.* 2. *Scitis, quia poſt biduum Paſcha fiet, & Filius Hominis tradetur.* &c. *Marc.* 14. *v.* 35: *Orabat, ut ſi fieri posſet, transiret ab eo Hora.* Ac ibidem *v.* 41. *Sufficit: venit Hora: Ecce Filius Hominis tradetur in Manus Peccatorum.* Nec non *Lucæ* 22. *v.* 14. *Et cum facta esſet Hora* (h. e. cum conſtitutum adesſet Tempus, ut habent *Pagninus* & *Beza*) *diſcubuit.* &c.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°

§. 5. (III.) Eſto autem, Diabolo jam tum in Deſerto, conceſſam divinitus exſtitiſſe, ullam, Corpus CHRISTI quomodocunque, ad aliam, quàm naturâ habebat, Partium Diſpoſitionem, reducendi vim; ac in ſpecie, hanc ipſam in objectu Glaucomatis, Medicis dicti, ad Regna Mundi doloſè monſtranda, conſtitiſſe; utique immanè-quantum ſimplex, ac ſtolidisſimè excogitata fuisſet ea Fraus, quâ *Viſioni* nativæ Oculorum CHRISTI *non tam perfectio* ulla, & acumen, ad tempus, inſolens, *quàm Imbecillitas manifeſta, ac Impedimentum, objectum* fuisſet. Quale profectò habetur in omni, propriè dicto, Glaucomate, ita, ut Viſio inhibeatur potiùs, ad non videndum ea, quæ ante Oculos ſunt, quàm adjuvetur, ac diſponatur, ad videndum ea, quæ abſentia penitus ſunt, & obſervationem ſui, ad tempus, ordinariè excludunt.

§. 6. (IV.) Aut, ut presſius rem exprimam; *ignorantiam* quoque *in Opticis* ſuam produnt, quicunque Regna Mundi, dicto modo, Salvatori monſtrata putant. Nam quando conſideramus, quid *Medium Viſionis*, glaucomaticè vel nebuloſè impurius redditum, propriè *ad Viſum fallendum* contribuat; percipiemus, culpâ ejus nil aliud fieri, quàm ut *Objecta Viſibilia externa*, (quod probe notetur,) appareant (α.) *majora*, quam ſunt: (β.) *in Ambitu minùs diſtinctè determinata*, ac eundem quaſi omnia Colorem nebuloſum habentia: & (γ.) quoad Numerum, *pauciora:* nullatenus verò clarè videnda, ac copioſiora.

§. 7. (α.) *Majora*, inquam, *apparent, quàm ſunt.* Et hoc multiplicatis Luminum Refractionibus debetur, *culpâ Medii ſemitranslucidi*, & Corpuſculorum, in Medio illo dinatantium, ac luminoſas ſuas Reflexiones mirè confundentium

tium inter ſe. Unde Sol & Luna majores videntur, Horizonti proximi, quàm quando ad Meridianum accedunt propiùs. Ac interdiu, tempore Nebuloſo, omnia foris adſpecta, majora exiſtimantur, ob perturbationem Medii, quo Radii refringuntur; quàm per ſerenum Aërem.

§. 8. Et ſive *Medium Viſorium* fallax ſit extra Oculum, ut communiter illud *Extrinſecum* ſaltem conſtituunt; ſive *Internum*, vel intra eundem, reſpectu Partium nerveo-medullarium, quæ in fundo Oculi Viſum determinant; id hic equidem nobis eſt perinde. Utrobique enim, ſi alterutrum impurius redditum ſit, turbatam Viſionem præſtat, & pleraque majora exhibet.

§. 9. Cujus rei illuſtre in Sacris exemplum (*Marc. 8. v. 24.*) habemus in Cœco, qui Viſum deperditum, â Chriſto paulatim receperat, interroganti Domino ſic reſpondens: βλέπω τοὺς ἀνθρώπους, ὅτι ὡς δένδρα ὁρῶ, περιπατοῦντας: *Video Homines velut Arbores, ambulantes.* Ad quem Textum convenienter *Lutherus*, Er ſiehet noch dunckel / &c. Senſusque eſt, qui ad marginem habetur in Bibliis *Tremellii*: *Video Homines eſſe, quia ambulant: & ſimiles etſe arboribus, quia erectâ ſunt Staturâ.* Ut hoc pacto τὸ περιπατοῦντας (vel Ambulantes) non ad Arbores, ſed ad Homines, referendum ſit, diſtinctionem hanc probè etiam obſervante *Verſione Hiſpanicâ* (editionis Venetæ) *Los Hombres, que veo andar, ſono como Arboles.* Hoc eſt, ut de Cœco iſto in Gloſsâ ad *Bezæ* Verſionem habetur: *Motum hominum percipiebat, cum Formam ipſam non diſtingueret.* Inficetè contra *Caſtalio* ſic vertit: *Arborum ritu video ambulantes.* Nam ſic Arbores etiam, quod bene ſit, quaſi conſtituit peripateticas.

§. 10. Interim & citra inhæſum Corpuſculorum di-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°

verſi generis, in Medio, per naturam ſuam diaphano, ſed diverſimodè adſpecto, Objecti molem aliquando majuſculam conſpici, ex Regulâ diſcimus, quam cæteroquin *Carteſius* (*Dioptric. cap. 2. §. 6. ad marg.*) nobis conſignavit: *Refractio tantò fit major, quantò incidentia* (Radiorum) *eſt obliquior. Nulla verò, cum Incidentia eſt perpendicularis.*

§. 11. Jamque dico: Si Medium refractorium Viſionis, Objecta majuſcula exhibet, quam ſunt, impoſſibile fuit, ut Regna totius Mundi, in diſtrictibus Montium Judææ multò minoribus, CHRISTO monſtrarentur. Alias Totum non majus ſuâ Parte, ſed Pars Toti ſuo coextenſa exſtitiſſet. Cujuſmodi Abſurditatem verò jam ſupra (*Cap. 3. §. 5.*) deteximus.

§. 12. (β.) Ac ut *Altera Proprietas Medii Refractorii impurioris*, in antecedentibus (§. 6.) dicebatur hæc, quod *Objecta* etiam *minùs accuratò determinata exhibeat*, & nebuloſam potiùs vel dilutam Figuræ conditionem habentia; prout *Pictores* e. g. *Auroram* pingendo, adeò affabrè norunt, Colorem unum cum altetò ſibi contermino, brunum putà in rubro, hunc in aureo, hncq; dein in croceo, citrino, & citrinaſcente, hunc in albo, atq; hunc demum ab alterâ parte in leniter cæruleſcente, Saphirino, & ſaturatiore Cœruleo tandem diluere, (Vertreiben vocant) ut ubi unus deſinit, ac alter incipit, ob hanc ipſammet ſui ad invicem diluitionem, contemperationemque, in ſuis contractibus nequeant diſtingui:

§. 13. ſic Figuræ Corporum, per Nebulam, aut Medium minus purum quodvis aliud adſpectæ, determinationis ſuæ Schema accuratisſimum quoque non exhibent, ſed obtuſius ac hirtum, ut ita dixerim, vel dilutum, & cum circumfluæ

fluæ Nebulæ Phænomeno confuſum. Ex quo judicare licet, ſi quam maximè diabolus conatus fuisſet, aut actu potuisſet, Splendores Mundi, Domino ſuo per Glaucoma videndos ſiſtere; iſtam oſtenſionem tamen deſtinato Tentationis fructu fuisſe carituram, quod *nihil diſtincti*, ſed Oceani Terris, Montibus Campi, & Regiones Amnibus ſuis confuſi, fuisſent obſervandi.

§. 14. (γ) Ad *Tertiam* verò *Medii Refractorii impurioris Proprietatem* quod attinet, in Spacio exiguo *Corpora* majora, quàm ſunt, atque ideò *pauciora*, quàm ſunt, exhibentem; etiam hinc videmus, quàm frivola, & ineptè ſuſcepta exſtitisſet illa Tentatio, quâ ad repreſentandum Orbis Regna, diabolus Glaucoma, Christo objiciendum, ſibi elegisſet, quo vix Arbor una vel altera, aut Homo ab Arbore, vel Scopulus â Domo, aut Turris â Monte, cominus ſaltem diſtingui potuisſet.

§. 15. *In Summâ:* Sive Glaucomatis Vocem impropriè (*vid. Cap. 4. §. 3. 4.*) ſivè propriè; & quantum ad poſteriorem ſignificatum hunc, ſive cum Zootomis, de Oculo glauco aut cæſio (*vid. ibidem, §. 6. ſequ.*) ſive cum Medicis (*vide integra Capita 5. 6. & hoc 7.*) de Glaucomate, propriisſimè ab ipſis dicto, interpretes capiant; quorſumcunque etiam ſe verterint, nullum pro declarandâ *Cosmodixi Glaucomaticâ*, invenient hermenias ſuæ aſylum.

Caput VIII.

Breviarium §. 1. Opinio IV. *Cosmodixeos obtinendæ ergò* Christum ἐν ϛιγμῇ in Gyrum converſum fuisſe.
§. 2. *Sed (I.)* ϛιγμὴ *non Punctum Temporis mathematicum;*
§. 3. *quin latè potius, qualemcunque exiguam Moram denotat.*

§. 4. *juxta ſuffragium Verſionum;*
§. 5. *Spanhemii; & Ambroſii.*
§. 6. (*II.*) *Nulla tum diabolo, in Corpus Domini, potentia exſtitit.*
§. 7 (*III.*) *Multò minùs Transportatio ulla per Aërem, hic locum habet.*
§. 8. *Diſceſſus ab Oſiandri Sententiâ.*
§. 9. παραλαμβάνειν, *non eſt validè rapere, ſed blandiùs aſſumere.*
§. 10. *Conſenſus Verſionum,*
§. 11. *& parallelorum Textuum.*
§. 12. *Neque conſtitutio Chriſti in Pinnaculum Templi, violenta fuit,*
§. 13. *ſuffragantibus itidem Locis parallelis,*
§. 14. *& Verſionibus.*

§. I.

ITaque ad *Quartam Opinionem* Me transfero, quæ ſubnaſci poſſit aliquibus, verba *Lucæ (cap. 4. v. 5.)* non ritè capientibus: ἔδειξεν αὐτῷ πάσας τὰς βασιλείας τῆς οἰκουμένης, ἐν στιγμῇ χρόνου: *Oſtendit Illi omnia Regna Orbis Terræ, in momento Temporis.* Quaſi videlicet Satan, ut quamcitiſſimè ſaltem, ac ſine ambagibus, â præcipuo iſthoc Tentationum Conatu, ſe expediret, (tanquam de cujus ſucceſſu obtinendo ipſe dubitaret haut leviter,) neceſſarium ratus ſit, *Salvatorem in gyrum convertere,* & nil non hoc pacto Ipſi conſpiciendum dare. Nam expreſſè hæc Verba, (ἐν στιγμῇ χρόνου) extremum Temporis præcipitium denotantia, apud Evangeliſtam quamliquidiſſimè exſtare.

§. 2. Verum abſit, ut tale quid pertinaciter ac feriò ſtatuere velimus. Nam (I.) per στιγμὴν hic non intelligi poteſt aut debet, adeò breve, ſtrictum, & mathematicè ſumtum Punctum Temporis, vel aliquod Νῦν, adeò rigoroſè ſumtum, ut celerrimo cuivis ictui Oculorum æquivalens, expediendo nihilominus longè vaſtiſſimo Coſmodixeos negocio impenſum cenſeatur. Id enim ſimpliciter fuiſſet impoſſibi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°

bile, cùm ſola Verba, (*Hæc omnia Tibi dabo, ſi cadens adoraveris Me,*) Coſmodixi adjuncta, in inſtanti efferri haut potuerint, ſed pluſculas aut longiores, ad ſui prolationem, Temporum Moras requiſiverint.

§. 3. Quin tenendum, latiùs paulùm Vocabulum iſtud accipi, & notare qualecunque anguſtum & *exiguum Intervallum Temporis*, quod poſt diverſas Tentatorias Confabulationes, cum Chriſto ſuſceptas irritè, ſibi adhuc ſupereſſe videbat diabolus, uno vel altero Refutationis Dominicæ fulmine jam repercuſſus.

§. 4. Quare non obſtante, quod ſive *Momenti* voculam retinent *Vatablus*, *Paraphraſtes Hiſpanicus*, ac alii; ſive *Punctum Temporis* ſubſtituunt *Beza & Pagninus*, ut jam ſuperiùs, ſub finem Præfationis (*pag. 5. lin. 7.*) innuimus; Interpretamentum id noſtrum confidenter illorum præponimus, quod clarè etiam Nobis, nominatiores quædam Paraphraſes Bibliorum favent. *Arabica* videlicet, quæ habet, *Breviſſimo Tempore:* Latina *Junii*, quæ habet, *Exiguo Tempore:* *Perſica*, quæ habet, *Paululo Temporis:* & *Syriaca*, quæ habet, *Modico Tempore*, &c.

§. 5. Et ſic etiam interpretandum *Sphanhemius* (*Part. 3. Dub. Evang. 5. pag. 246.*) judicat Locum *Pauli* (*1. Cor. 15. v. 52.*) quo de Clangore Tubæ, & Mortuorum Reſurrectione agitur: ἐν ἀτόμῳ, ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ: i. e. *in momento, in ictu Oculi.* Quàm benè verò, vel malè; id ſuo loco relinquimus. Et *Momentum Indignationis Domini*, apud Prophetas, ſimiliter non ἁπλῶς aut abſolutè ſed συγκριτικῶς aut comparativè, intelligendum ſuadet, ſupperaddens, ad Textum noſtrum Evangelicum, Gloſſam *Ambroſii*: *Non tam Conſpectus celeritatem, quam caducam fragilitatem Poteſtatis, notari.*

§. 6

§. 6. (II.) Identidem urgemus, quod jam ſuperiùs, ſemel atque iterum (videlicet *Cap. 4. §. 23. & cap. 7. §. 2. 3.*) â Nobis factum eſt, contra Dignitatem & Majeſtatem Perſonæ CHRISTI, quantumlibet exinaniti ad tempus, & in Deſerto Tentationibus diabolicis obnoxii redditi, fuiſſe, ante definitum â Patre, Paſſionis Tempus, & antequàm Ipſe eam volens aggrederetur, ludibrium, vexationem, & prædam Diaboli fieri, qui Ipſum tractaret, verteret, & converteret, quorſumcunque vellet: cum ſolam ſaltem, in eodem Monte, *Flexuram Genuum*, ſibi præſtandam, nec imperare, nec impetrare poſſet impurus ac inficetus Spiritus; ſed é veſtigio â Domino reprimeretur.

§. 7. (III.) Tantum abeſt, ut veroſimile ſtatuamus, CHRISTUM violento ullo Raptu per Aërem, aliquorſum *transvectum fuiſſe*, ut prætereà etiam communis Opinio fert, & in Verſionibus quibusdam Vocabulum *Translation s*; putà â Pagnino (*Matth. 4. v. 8.*) ac *Transportationis*, ab Interprete Gallico (*Matth. 4. v. 5. & 8.*) & Bruciolo, Italo (*ibidem*) adhibetur. Quibus imprimis *Oſiander*, in Gloſsâ ad *Matthæi cap. 4. v 5.* Se aſſociat, ſic ſcribens: *Credibile eſt, quod Chriſtus, permiſſione ſuâ, fuerit ſubitò raptus, & transportatus violentiâ Satanæ in Urbem e Deſerto, ſicut Philippus â bono DEI Spiritu raptus fuit ad Urbem Azotum, Actor. 8. v. 39.*

§. 8. Quin potiùs, quod pace *inſignis Oſiandri* dixerim, eſt longè maxima *Diſparitas* hic tam in Exemplis, quàm ipsâ Phraſi. *In Exemplis quidem*; quòd Philippus, pium DEI Organum, ad Actiones bonas peragendas, (h. e. ad prædicandum Evangelium) aliorſum â Domino DEO ſuo, Creatore omnipotente, correptus eſt; non Dominus â Creaturâ, peſſimum quid moliente. Neque enim veroſimile, diabolum

bolum ita cum Chriſto egiſſe, ut DEUS agere conſuevit cum Sanctis ſuis. *In Phraſi verò*, quod in loco Actorum, Vox ἥρπασε (*Rapuit*) adhibetur, quæ validam utique Corporis alicujus de loco in locum, Translationem denotat: in noſtro autem Evangelico Textu, non ἁρπάζειν, vel *Rapere*, ſed παραλαμβάνειν, vel *Aſſumere*, iteratò habetur.

§. 9. Id quod de eo quammaximè dici ſolet, qui blandè ac molliter alterum amplectitur, & Manu quaſi ducens ſibi Viæ ſocium adjungit.

§. 10. Huicque Interpretationi, in totâ Tentationum Hiſtoriâ, favent Verſiones multò plures reliquæ, ad denotandam molliculam, hypocriticam, ac minùs violentam, Chriſti deductionem conſpirantes. *Adducere* nimirum, ut habet Caſtalio. *Ducere*, ipſe *Oſiander*, (*Luc*. 4. *v*. 5. ubi etiam LXX. *Int*. ἀνάγειν habent.) *Subducere*, Caſtalio. *Conducere* (i. e. Comitari) Italica Deodati, Brucioli, & Lugdunenſium, in diverſis Locis. *Amenare* (i. e. Conducere) Verſio Gallica. *Führen* Lutherus. *Voren*, Verſio antiqua Saxonica. *Leyden* (i. e. *Leiten*) Belgica Delphenſium. *Tacken*, Anglica: id eſt, Tangere, Apprehendere; conſpirante hac Voce cum Danicâ *Tager*, (Capere,) Gallicâ *Attaquer* (invadere) Latinâ *Tangere*, & Græcâ δέχεσθαι, â τάω, (capio) ut eſt apud *Stephanum Skinnerum* (*in Lexico Anglico*, ſub Voce *Take*.)

§. 11. Nec *Loca* Novi T. *parallela* etiam nos deſtituunt, ubi λαμβάνειν (*Matth*. 1. *v*. 24.) & παραλαμβάνειν, (*Matth*. 17. *v*. 1.) ἄγειν item (*Matth*. 21. *v*. 7.) & ἀνάγειν, (*Luc*. 22. *v*. 66. *Act*. 12. *v*. 4.) non de Geſtatione, Portatione, aut Raptu violento, ſed comtiore, & magis tranquillâ deductione capienda eſſe, expreſsè liquet.

§. 12. Tum neque per Verba, (καὶ ἵστησιν αὐτὸν & *ſtatuit*

tuit Eum in Pinnaculum Templi) quicquam aliud intelligendum eſſe, nobis videtur, quam facta â Diabolo, poſt Pedeſtrem Comitatum, & adſcenſum Scalarum, ſedata item, ac minimè violenta, CHRISTI Locatio.

§. 13. Nam etiam huc conſpirant *Textus paralleli* : Ex gr. de Chriſto, Parvulum conſtituente in Medio, dum (*Matth.* 18. v. 2.) ſcribitur: ἔςησεν αὐτὸ ἐν μέσῳ αὐτῶν.. Apud *Marcum* (*cap.* 13. *v.* 9.) ἐπὶ βασιλέων ςαθήσεσθε. Quæ verba *Lutherus*, non de Raptu præcipiti, ſed ita vertit: müſſet geführet werden. Et apud *Johannem* (*cap.* 8. *v.* 3.) de Adulterâ, ad Chriſtum non rapidè tracta, ſed molliùs deductâ: ςήσαντες αὐτὴν ἐν μέσῳ. Ex quorum collatu ſedulo pateſcit, neque ex noſtro Textu, ut impetuoſam, concusſivam, aut rudem Chriſti, in Pinnaculum Transportationem eliciamus, necesſitatem ullam eſſe.

§. 14. Et conſpirant pro Nobis hic pariter *Verſiones* diverſi Idiomatis, generalioris Significatus Vocabula habentes. *Statuere* nimirum, *Ponere*, *Mittere*, Setzen / & ſimilia. Ut proinde, ſi concertandum Autoritatibus ſit, plus Suffragii pro noſtrâ Sententiâ, quam eorum, qui de violentiore Chriſti Raptu per Aërem ſibi perſuadent, & *Converſionem ejusdem vel Circumgyrationem in Monte* addunt, ſit extra omnem controverſiam ſperandum.

CAPUT IX.

Breviarium §. 1. Opinio V. *Regna Mundi Chriſto, non verè oblata, ſed* per Viſionem Intrinſecam *fuiſſe* :

§. 2. *Quæ Viſio* partim *opponitur* (α.) *Viſioni reali ac ordinariæ*;

§. 3. (β.) *Intelligentiæ triplici Angelorum*;

§. 4. (γ.) & *Viſioni Propheticæ* :

§. 5.

§. 5. partim *in Controverſiam vocatur.*
§. 6. Ratio negandi una; *à ligatâ Diaboli vi iterum petitur.*
§. 7. *Et Viſio Interna conſtituitur triplex:*
§. 8. (α.) Vigilantium: *contingens*
§. 9. vel Divinâ, *ac ſupernaturali* Vi:
§. 10. *Apoſtolus, quatenus ineffabilia in Cœlo viderit?*
§. 11. *aut Adamus in Paradiſo audiverit Vocem DEI?*
§. 12. *Loca Biblica parallela, ad entheam Viſionem ſpectantia.*
§. 13. *Morientium quorundam prægustus æternæ Beatitudinis.*
§. 14. vel Diabolicâ:
§. 15. vel merè Naturali; *e.g. in Febribus ardentioribus;*
§. 16. (*quorſum* Marmarygæ *Hippocraticæ præſertim pertinent.*)
§. 17. *in Coruſcationibus Oculorum, poſt plagam acceptam;*
§. 18. *in Phrenitide ac Ebrietate;*
§. 19. *in ingruente Lipothymiâ, Epilepſiâ, Hyſtericâ;*
§. 20. *ac poſt Solem, â Sanis etiam, adſpectum.*
§. 21. *Totaq; res declaratur exemplo Virgæ flexilis.*
§. 22. (β) Dormientium, *contingens in Somnio.*
§. 23. *Per quod quomodo Res, Vigilantibus notæ, videri videantur?*
§. 24 (γ) Ecſtaticorum.
§. 25. *Ecſtaſis quid?*
§. 26. *& quotuplex?*
§. 27. *Cardani voluntarius Stupor:*
§. 28. *ſimilisq; Democrito imputatus.*
§. 29. Ratio negandi altera, *cur Chriſtus Regna Mundi per Viſionem internam non contuitus fuerit?*
§. 30. Ratio Tertia:
§. 31. & Quarta.

§. 1.

SEquitur examinanda *Opinio Quinta* quædam, Circumſpectionem imprimis requirens, eorum, qui Machinationes diaboli, Chriſtum adorientis, non hiſtoricè aut eo ordine ac modo, ut Evangeliſtæ recenſent, ſed ita ſaltem contigiſſe putant, ut *Mundi viſibilis Species*, judicium Sen-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°

ſus externi prætergresſæ, ſoli Imaginationi illius, *per Viſionem Internam oblatæ* exſtiterint.

§. 2. Quo in negocio affatim cautos, ut innui, Nos gerere addecet, & diſtinguere ante omnia *Viſionem* iſtiusmodi *Internam*, CHRISTO, ut Homini, imputatam, (α.) â *reali* Corporum, foris communiter Oculo obverſantium, *Apparentiâ*. (β,) Ab Intelligentiâ Angelorum. Et (γ.) â Viſione Propheticâ. Ex quibus (α.) de priore non eſt, ut verbulum, addamus, poſtquam in Contextu Capitis 4. 5. 6. & 7. prolixè ſat de Oculis, & Rebus, ad *ordinariam Viſionem* ſpectantibus, actum eſt.

§. 3. (β.) Ad *Angelorum* verò *Intelligentiam* quod attinet; ſicut horum cognoſcendi Modum Scholaſticis placet diſtinguere, pro diverſitate Objectorum: ſic Intelligentiæ Actum ipſis triplicem tribuunt. *Unum, per Species Intelligibiles*, quoties creatam aliquam rem, extra Se poſitam, & quidem multò perfectiùs, quàm Nos, contueantur. (Quantumvis difficultate forſan non careat, imaginari ſibi, Angelos, ut Esſentias incorporeas, cognoſcere veruntamen Corporeum quid, cujus Idolum in Senſu non præexſtiterit; aut determinare, quomodo Contactus Rei materiatæ, in Subjecto recipiente immateriato, excitare apprehenſionem ſui aliquam, vel cognitionem posſit.) *Alterum, Reflexivum*, quando propriam ſuam Esſentiam, cum Attributis eò ſpectantibus, intuentur. *Tertium, per Revelationem*, divinitus ſibi factam, quando DEI Esſentiam, quousque ſibi ab Illo concesſum eſt, & futura quædam, imò DEUM utique, ut Cauſam, ex Effectibus cognoſcunt.

§. 4. (γ.) Ac de *Viſione Propheticâ* hoc tenendum, ex Sententiâ Incomparabilis Viri, *D. Dorſchéi*, quæ habetur *in Diſputa-*

putatione quadam Theologicâ Argentoratenſi, (Ann. 1636) *de Veritate Propheticâ*, (§. & *pag.* 28.) fluxiſſe Viſionem illam ex immediatis quibusdam IntellectuumPropheticorumIlluminationibus, hoc ſucceſſu, ut aliqui, peculiariter ad id ſelecti, quid futurum eſſet, per ſolam Spiritus S. Inſpirationem, ſine præcedente ullo vel Somnio, vel Viſione (externâ aut internâ) vel Auditu, vel Imaginatione, in Temporis momento ſcirent. Unde & βλέποντες, vel *Videntes* dicuntur à LXX. Interpr. *1. Sam.* 9. *v.* 9. 11. ac alibi.

§. 5. Quibus ita breviter expeditis, & expreſſè oppoſitis *Viſioni Internæ*, de quâ potior hîc ſermo eſt; quæritur directè jam, an tutò liceat, Coſmoſcopiam, in Oculis Animoque Chriſti, à Diabolo excitatam, de Viſione iſtiusmodi internâ, explicare, vel non?

§. 6. Atq; hanc etiamOpinionem, ut præcedentes reliquas, ſimpliciter negamus, ac pernegamus, (I) *ob Rationem*, jam ter inculcatam in antecedentibus. In Capitis 4. nimirum verſu 23. Cap. 7. v. 2, 3. & Cap. 8. v. 6. junctim tendentibus eò, quod quemadmodũ Satan, ante definitum TempusDominicæPaſſionis, nihil prorſus arbitrii, in ullamPartem Corporis Chriſti habuit; ita exiſtimandum minimè ſit, quicquam virium, præſertim in Texturam interiorem Oculorum Ejus, utpote quibus in toto Corpore nihil eſt delicatius, aut ingenioſè magis conſtructũ ab architectrice Naturâ, ſibi conceſſum habuiſſe, (utut cæteroquin Hiſtoriæ de Energumenis, mirè ac miſerè tractatis, affatim notæ ſint, ex *Matth.* 17. *v.* 15. *Marc.* 5. *v.* 3 & quadantenus *Luc.* 8. *v.* 27. &c.

§. 7. Quam Rationem *benevolus Lector*, ſi placet, ulteriùs poterit celebrioribus *viſionis Internæ ſpeciebus* applicare, in hoc à ſe invicem diſcrepantibus, quod alia Viſio,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°

eique conjunċta profundior Contemplatio, contingere deprehenditur *Vigilantibus*, alia *Dormientibus*, alia in Statu ex his dubio ſe habentibus, aut *Ecſtaſi correptis.*

§. 8. Ex quibus (a) ad *Vigilantes* quod attinet, quod his aliqua interdum clarisſimè videantur, quæ propriè tamen ante Oculos ipſorum poſita non ſunt, *ex Cauſâ* profluere ſolet vel *Divinâ*, vel *Diabolicâ*, vel *Naturali*.

§. 9. *Divinâ* quidem; quatenus DEUS, per omnipotentiam ſuam, medullares Nervi Optici Expanſiones, in Fundo oculi conſtitutas, ita aliquibus poteſt (ac ſolitus eſt) diſponere, atque tales Motuum modificationes in ipſis excitare, ut iiſdem eadem prorſus obtingeret Viſibilium Rerum repræſentatio, atque Homo vidisſet, ſi ſimilis Figuræ, Magnitudinis, Lucis, Coloris, aut Motùs objecta, actu conſtituta ante oculum fuisſent.

§. 10. Ad quem Modum veriſimiliter *Paulus* quoque, durante Ecſtaſi, (*2.Cor. 12.*) in tertio, ad quod raptus fuerat, Cœlo, verè & vidit, & audivit nonnulla, Eloquio ſuo majora poſtmodùm.

§. 11. Ratio certè, quâ *Adamus* in Paradiſo, citra Ecſtaſin imprimis, DEUM, qui incorporeus eſt, ſibi loquentem, verè etiam audivit, vix dari aut excogitari poteſt convenientior, quàm dicendo, omnipotentisſimum Creatorem ad eandem Motuum taxin redegisſe in Aure Adami, tenuisſimas fibrillas Nervi acuſtici, per Tympanum diſperſas, atque commotæ ab Objecto audibili externo Corporeo fuisſent, ſi ullæ Aëri intermedio, undulationes ſonoræ, ad hanc vel illam Vocem articulatam propagandam, forinſecus impresſæ exſtitisſent.

§. 12. Pluraque ſimilia, ſi vellemus, fuſiùs posſemus af-

afferre in medium: ſed placet, Loca Biblica titulotenus ſaltem indicare. *Numer. 22. v. 31.* videlicet, de Oculis Balaamo apertis: *Sapient. 19. v. 16.* de Impiis, obtenebratione percuſſis: *Joh. 20. v. 15.* de Chriſto, habitu Hortulani viſo: *Luc. 24. v. 16.* de Oculis, Viatorum Pari, verſùs Emaus tendentium, ligatis.

§. 13. Et quis ſcit, annon ex eodem Principio explicandus ſit, memorabilis in *Moribundis* quibusdam æternæ Beatitudinis prægustus, quo quidam, à Morbi ſui, Rerum mundanarum, & Conſanguineorum contemplatione ulteriore penitus abstracti, ſibique quietim relicti aliquandiu, tanquam in Ecſtaſi; ubi ad Se redierint, detenti quamdulciter fuiſſe converſatione cum Angelis, referunt, deque contubernio Cœlitum inito ſibi gratulantur.

§. 14. In *Viſione Satanicâ* ſimile quid internæ Oculorûm ſtructuræ accidit, ſiquidē DEUS, ut tale quid in Homines expetat, permittat. In eo Caſu ſiquidem diabolus, miris interdum modis, citra neceſſariam ullam Objecti ſenſibilis externi præſentiam, ob Oculos pariter, & in iis, medullares Nervorum Opticorum Villos, peculiariter à Se clam diſpoſitos, ludificat, ut exiſtiment, exteriùs Viſibilia varii generis ſibi obverſari, quæ verè veruntamen non adſunt.

§. 15. Tum *merè - Naturaliter* quoque ſimilia *Febre ardentiore detentis* pathemata contingunt: ut videlicet, actis ad enormes Orgasmos Spiritibus igneis, & per Febriles incaleſcentias accenſis, expanſæ in Oculo Productiones medulloſæ Nervi viſorii, perturbatim adeò agitentur, ut non poſſit non ſimilis Motus turbidus retro agi in Cerebrum, & miræ hoc pacto, nullaquè ratione cohærentes Rerum Imagines, repræſentari.

§. 16.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°

§. 16. Quorſum maximè ſpectant *Scintillationes* quædam, vel *Coruſcationes Oculorum* ſæpe ſuborientes, dictæq; *Marmaryga* apud Hippocratem. In quibus videlicet videntur Splendores anomali foris affulgere, cum foris nulli ſint. Et tamen intus verè videntur, quia Spiritus lucidi, per æſtum febrilem concitatiùs moti, expanſas in Oculo Nervi Optici Fibras tenerrimas, eâ taxi & ratione commovent, atque motæ fuiſſent, ſi ſimilis Splendor externè ante Oculos fuiſſet.

§. 17. Ac parum diſſimilis ratio eorum eſt, qui *poſt plagam* fortiorem, *Oculis inflictam*, videre ſe putant exſilientes extra Oculum ſcintillas quasdam, aut Semicirculos lucidos; cum fulgurum isthæc idola, foris apparentia, certiſſimè fiant in Oculo, culpâ Colliſionis fortiſſimæ particularum Lucis congenitæ, fortiùs ad Nervum Opticum adactæ.

§. 18. De *Phreneticis* quid dicam, & horum fratribus, *Ebriis?* De quorum alterutris (& quidni utrisque?) ſic philoſophatur *Carteſius*, (*Dioptr. cap. 6. §. 17. pag. 90.*) congruè ſic ſcribens: *Hoc evenit, ſi Vapores, Cerebrum pulſantes, partes illius, quæ Viſioni inſerviunt, eodem modo disponant, quo ipſas mediante Oculo disponerent Objecta externa, ſi adesſent.*

§. 19. Aut de *Lipothymiâ* gravi ingruente? *Epilepſia?* vel *Hystericâ?* In quibus non aliâ, quàm quæ affatim hucusque declarata eſt, ratione apparent *ineffabiles quidam colores*, foris nulli, intùs verò conſpicui, in tenebricoſitatem dein degenerantes, ut eſt apud *Boylæum de Coloribus*. (*Part. 1. Cap. 2. §. 6. p. 14.*)

§. 20. Inque Statu Corporis ſano Exemplum tandem ſi appetis; neque omni penitus deſtituemur. Eccui enim ignotum, quàm manifeſtè haud raró (imò non ſine moleſtiâ) iis, qui *Solem directè adſpexerunt*, intus aliquandiu Globi

ſemi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°

ſemilucidi colorati, in Oculis nictantibus aut clauſis, vel non clauſis etiam, ſed à Sole averſis, in Pariete albo aut Chartâ adſpectâ, Diſci ſimiles ſemilucidi, aut Circuli flaveſcentes appareant, ob permanentiam Motus Nerveis Villis impreſſi, nec exſpirantis eodem momento, quo Oculus ab Objecto excellenter-lucido fuerit remotus. Natura quippe à Vibrationibus Fibrillarum concitatisſimis, ad extremam earum quietē, non ſtatim transgreditur, ſed per interpoſitos quosdā gradus Colorū, ſenſim exſpirantium, incedens, Motus quosdam minores interponit, quibus Fibrillæ ſenſim ad priſtinam ſuam Quietem redeant: ſuffragante iterum nobis ingenioſisſimo *Carteſio (l. ante d.* §. *3. pag. 83.)* qui videatur.

§. 21. Totumque negocium commodisſimè *Exemplo Virgæ flexilis* declarari potest, fortiter agitatæ in Manu Viri, etiamſi is mox dein Brachium extenſum quietim ſervet. Nam ſic ipſa quoque propterea non ſtatim ad quietem reducitur: ſed vibrationum reciprocationes adhuc aliquas ſuſtinet, priusquam illæ, fortiter ipſi impresſæ, languidiores ſemper ac languidiores reddantur, usque dum tandem penitùs exſpirent. Atque hæc de *Viſione Interna Vigilantium*, quæ fiat citra neceſſariam ullam Objecti exterioris præſentiam.

§ 22. (β.) *Dormientibus* verò imprimis diverſas obverſari Imagines, quibus in Somnio delectantur plùs minùs, triſtantur, aut quavis aliâ ratione, ab hoc vel illo Motu, Spiritibus opticis impreſſo, afficiuntur, ut vigilantes dein vidisſe exiſtiment, quæ foris poſita extra Oculum non erant; hoc adeò in vulgus notum eſt, ut Exemplis comprobari haud egeat.

§. 23. Atque adeò *Somnia* non ſunt merè-imaginarium quid, ut potiùs, quemadmodum Phantaſia eſt Actio A-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°

nimæ non incorporea, ſed materialiter agentis, & ad hoc opus habentis Spirituum miniſterio: ita, quod evigilantes é Somno, multiplicium Rerum, per Inſomnium viſarum, recordari ſolemus, ac illas narramus aliis, ex eo venit, quod certæ inter dormiendum, in Corpore noſtro, interceſſerint, Spirituum nerveorum, ad Oculi interiora motorum, agitationes, ſimiles illis, quales vigilantibus obtingunt, in hujus vel illius Objecti externi præſentiâ, emanationem idoli ſui viſibilis, juxta has vel illas projectionum luminoſarum modificationes, medullaribus Fibris nerveis, in Oculo ordinariè imprimentes.

§. 24. (γ.) Supereſt *Ecſtaſis*, Enthuſiasmus, Stupor, vel Exceſsus Mentis: quod Pathema non audemus, Vigilantium aut Dormientium Statui, præcisè applicare. Ideòque tanquam Dubii Generis Rem, ſeorſim huc reſervavimus.

§. 25. Et per eam ſubintelligitur temporaria Mentis humanæ, â Functionibus Corporis ordinariis interim ceſſantibus, ad extraordinariam Contemplationem averſio, vi Spirituum (omnium quaſi) in Pineali Cerebri Glandulâ, ut juxta *Carteſium* loqueremur, vel quavis centrali Cerebri parte aliâ, unitorum, ut Homines eâ detenti, videantur Mortuis ſimiles, nec quid ſecum agatur, vel planè, vel diſtinctim ſentiant; cum verò ad Se redierint, aliqui eorum, quæ facta ſecum fuerint, confusè ac valdè ſummariè, (alii plane non) recordentur: atque interim in poteſtate eorum non ſit, tamdiu in illâ manere, quamdiu volunt.

§. 26. Cujus Affectionis ſi quædam *Species* ſint conſtituendæ, ante omnia ſic procederem, ut inter Veram primùm & Fictam vel imaginariam diſtingueretur. Hinc Veram dirimerem, rationè Cauſæ ſupervenientis, in *Divinam*, quâ Petrum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°

trum (*Act.* 10. *v.* 10. *ſeq.*) Paulum, (2. *Cor.* 12.) alioſque correptos legimus; in *Diabolicam*, Vaticiniis & falſiloquiis dein infamem; ac *Naturalem*.

§. 27. Quam poſteriorem, *Voluntariam* quoque aut arbitrariam ſibi fuiſſe, *Cardanus* (*d. Rer. Variet. lib.* 8. *cap.* 43. *init.*) perhibet, ſic ſcribens: *Quatuor Mihi indita ſunt â Naturâ, quæ nunquam aperire volui: & omnia, meo judicio, admiratione digna. Quorum primum hoc eſt, quod quoties volo, extra Senſum quaſi in Ecſtaſin transeo. —— Secundum eſt, quod cum volo, video quæ volo, non vi Mentis. &c.*

§. 28. Traditurque *Democritus* apud *A. Gellium* (*lib.* 10. *cap.* 17.) Clypeo polito, contra Oculos & Solem obtento, Se excœcaſſe,

—— —— malis bene
Eſſe ne videret Civibus; ——

aut, ut eſt apud *Plutarchum*, (citante *Mart. Schookio*, *d. Ecſtaſi*, *pag.* 6.) ut tantò conſtantiùs poſſet *immorari Rebus*, *ſolâ Mente cernendis.*

§. 29. (II.) *Alteram negandi Rationem*, cur Cosmoſcopiam per Modum Viſionis internæ, â Diabolo procuratam haud arbitremur, unâ cum ſequentibus, judicioſiſſimo debemus *Spanhemio*, (*part.* 3. *Dub. Evangel.* 55. §. 3. *pag.* 242. *ſequ.*) id involventem, quod videlicet in Textu Evangelico, nullum Verbum aut Circumſtantia addita occurrat, quæ Viſionem, hoc loco acceptam, innuat.

§. 30. (III.) *Tertiaque* eſt; Non temere â Literâ & Hiſtoriæ contextu recedendum, ubi non urget neceſſitas. Aliàs quidvis hiſtoricum, & ſic Paſſionem, Crucifixionem, & Mortem Chriſti, ad Viſionem neſcio quam, poſſemus reducere. Sic verò proh quorſum tandem perventuri ſimus?

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°

§. 31. (IV.) *Quarta* denique eſt, quod ille tentari propriè dicitur, qui ſui compos eſt, & in ejusmodi Statu, in quo & Judicio uti poteſt, & libertate Voluntatis, ad asſenſum vel disſenſum aptæ. Qui vero Viſione Internâ detinentur, ſui compotes propriè non ſunt: ſed organa ſenſoria ipſorum aliquid extraordinarii patiuntur.

CAPUT X.

Breviarium §. 1. Opinio VI. Origenis, *Cosmodixin ne quidem verè factam, ſed* allegoricè *capiendam eſſe.*

§. 2. *Origenis Perſona & Scripta ſtrictim notantur.*

§. 3. Ratio negandi una,

§. 4. & Altera.

§. 1.

ATque *Sexta* demum *Opinio* ſupereſt, â reliquis hucusque enumeratis prorſus diverſa, *Origenis*, (*Homil. 30. in Lucam*) quondam exiſtimantis, citante *Spanhemio* (*part. 3. Dub. Evang. 55. pag. 245.*) Oſtenſionem Regnorum Mundi, Chriſto exhibitam, *allegoricè* intelligendam eſſe, *non ad Literam*, de Regnis externis, ſed vel de Regno Diaboli, quod excercet in Mundo, vel de Regno, i. e. Hominibus, in quos regnat per vitia varia.

§. 2. De cujus Doctoris Eccleſiaſtici, Catechetæ Alexandrini verè induſtrii non forſan injuriâ vocandi, *Origenis*, ſub Imp. Severo ad Seculi III. initium referendi, & ſub Valeriano deinde mortui, vel Perſonâ, Elogiis æquè ac vituperiis multorum notâ, vel Scriptis, numero vaſtis, variè contaminatis, & maximam partem ſuſpectis, quod ſcilicet partim Ruffinus Interpres ipſa interpolaverit, partim Hæretici raudulenter corruperint, falſa pro genuinis ſubſtituendo,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°

Orbique imponendo ſub Ejus illuſtri nomine, & quisque pro ſuo in Autorem affectu, quædam hinc inde detraxerit aut retinuerit; noſtrum haud equidem eſt, ut operosè ex Ævi antiquioris Hiſtoriis evolvamus.

§. 3. Quin directè potiùs ac breviter ad modo-allatam Ipſius, de Cosmodixi Satanicâ, Sententiam quod attinet; neque huic addendus eſſe calculus videtur (I.) quod usque adeò ſolennis hic Morbus *Origenis*, affatim cognitus ſit, *Interpretamentis allegoricis* indulgere, ut è contrario etiam, quod myſticè intelligendum, interdum in Sacris de rebus Corporeis dicitur, illud propriè accepiſſe vulgo putetur, & amputaſſe proin Ipſe ſibi Virilia, ne ſcilicet vel moleſtam ſibi experiretur Venerem, vel ſuſpectam inverecundiæ, cum Matronis ac Virginibus, de Rebus Fidei, Converſationem redderet.

§. 4. (II.) Tum præſertim, verbis laudati *Spanhemii*, Quid Opus erat, *Chriſtum transferri in Montem, ut illi pateret, Diabolum Regnum exercere in Mundo: quaſi verò id Dominum ante latuerit, vel quicquam facere potuerit ad tentandum Dominum*.

Caput XI.

Breviarium §. 1. Opinio VII. *demum, (Correctior) præcedentibus ſubſtituitur,*

§. 2. *cum manifeſtatione ejus, quo Interpretes fuerint ſeducti.*

§. 3. *Per* Τὸ Oſtendere *videlicet, quod in* Latino *Demonſtrationem Ocularem ſpeciatim involvit:*

§. 4. *accedente Autoritatibus Etymo.*

§. 5. Græcum Δείκνυμι *verò patet latius,*

§. 6. *& Indigitationem Rerum etiam abſentium, comprehendit.*

§. 7. *Unde Oſtendere & Indicare, in* Latino *affatim differunt.*

§. 8. (*Pali terminales paſſim, & Statuæ ſaxeæ in Septentrionalibus.*).

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°

§. 9. *Phraſis* Græca *verò, de Oculari ſimul & Mentali*, ἐνδείξεως *Modo capienda.*
§. 10. *Digiti*, δάκτυλοι, *quaſi* δείκτυλοι, *Indigitare : Indicare.*
§. 11. *Obiter de Menſurâ Horizontis viſibilis.*
§. 12. *Proſpectus ex Monte Tentationis, longe amplisſimus:*
§ 13. *maximèque in Hieruſalem, Orbis Umbilicum.*
§. 14. *Robur dictorum ex ſuperfluo.*
§. 15. *Pſeudoprophetæ in Mundum exeuntes, h. e. in partem Mundi.*
§. 16. *Auguſtus, Cenſum Orbi imponens, cujus tamen Parti vix dominabatur tertiæ.*
§. 17. *Concluſio.*

§. 1.

JAm verò tempeſtivum eſt, ut rejectis Aliorum, de Satanicâ Coſmodixi, Opinionibus, meliorem tandem, ſi quæ Nobis ſit, ſubſtituamus Sententiam. Et hanc quidem ſic ſubſtituamus, ut tum nullum facilè Argumentorum eorum, quæ illis oppoſuimus, nobismet ſimiliter posſit objici, tum aliquanto profundiùs ſimul inquiramus, quæ cauſæ forſan præcipuæ fuerint, quibus tot Viris, Eruditione ac Famâ præſtantibus, oculi quaſi præſtricti exſtiterint, ut Veritatem, inventu facillimam, tanquam OVUM COLUMBI alterum, veruntamen non potuerint invenire?

§. 2. Cujus Ἀβλεψίας fundamenta equidem duo conſtituo. Unum, in malâ *Vocis* perceptione conſiſtens: alterum in non ritè perceptâ totâ *Phraſi*. Nam quantum ad *Vocem*; in propatulum produco, Interpretes quaſi omnes, potiorem *Verſionis Vulgatæ*, quam Textus ipſius originarii rationem habentes, ſimpliciter circumventos eſſe, per nudum fere ac ſolum *Oſtenſionis* (*Oſtendit Ei omnia Regna mundi*) Vocabulum.

§. 3. *Quoniam enim* id, in Latino, juxta celebriorem ſui uſum, notanter exprimit aut involvit, Rei cujuspiam,

quam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°

quam coram Animo alterius repræſentare intendimus, exhibitionem talem, quæ directè & actu, ipſi ſubjiciatur *Oculorum judicio*, quò minùs de veritate illius dubitari posſit; prout *Lucæ 17. v. 14. Oſtendite Vos* (ἐπιδείξατε ἑαυτοὺς) *Sacerdotibus*, ſcribitur, & *Cap. 20. v. 24. Oſtendite* (ἐπιδείξατε) *Mihi Denarium*, & *Cap. 24. v. 40. Oſtendit Eis* (ἐπέδειξεν αὐτοῖς) *Manus & Pedes*; aut apud profanos Autores e. g. *Terentium* (*Eunuch. Act. 5. Sc. 3. v. 5.*)

P. Jamne oſtendiſti Signa Nutrici? C. *Omnia.*

P. Amabo, quid ait? cognoſcitne? —— —— ac *Varronem à Turnebo* (*lib. 29. Adverſ. cap. 27.*) citatum, *Oſtendere Occipitium*, i. e. diſcedere, vel abire, &c.

§. 4. Ut proinde *Oſtendere* idem propemodum Nobis ſit, atque *Os* alicui *tendere*, aut extendere, ut rem ſibi præſentaneam, de cujus Exiſtentia, judicio Oculorum nedum credat, tantum non ipſo Ore Rictuvè aperto posſit excipere, certamque experiri; vel quaſi *Obtendere*, ut *Voſſius* (*in Etymologico*) explicat, h. e. tanquam in Linteamine picto, ut omnium Oculis pateat, prætendere:

§. 5. *Ideòque* boni iſti Viri, quorum Interpretamenta rejecimus, (excepto *Origene*) in eo omnes conveniunt, quod Regna Mundi, (vel terræ habitabilis) omnia, præter necesſitatem, tolerantiam Naturæ, & Hiſtoriæ contextum, in conſpectum & ante Oculos CHRISTI, â Diabolo producta fuisſe exiſtiment; cum é contrario *Vox Græca* δείκνυμι, Δεικνύω, Ἔνδειξις, & ſimilia, certisſimè pateant latiùs, nec præcisè ſemper actualem objecti alicujus, coram Oculis, Repræſentationem, ſed aliquando, Indicationem abſentium quoque, aut longiùs disſitarum Rerum, Ratione aut Itinere ſupplendam, denotent; & dubia proinde iſthæc Vox in Textibus no-

ſtris

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°

ſtris Evangelicis occurrens, (NB.) ſpecialiter de *Oculari Regnorum omnium, totius Mundi demonſtratione*, non prius interpretanda fuiſſet, priusquam affatim ſimul perſpectum eſſet, an talis Demonſtratio etiam permitteretur â Conditione Objecti vel Materiæ, & in actum deduci, contra Naturæ tolerantiam potuiſſet â Diabolo, qui, quicquid Præſtigiarum etiam præſtet, quatenus tamen eſt Ens Creatum & finitum, ultra fines Naturæ, â DEO præfixos etiam agere non poteſt.

§. 6. Latiusculè, inquam, patent Græcæ Voces, Δείκνυμι, ἔνδειξις, & cæteræ; ac *utrumque Repræſentandi Modum*, tam Ocularem, quàm Mente ſupplendum, continent. Quod *de Priore*, patet ex Locis, ex *Lucâ* in antecedentibus citatis, quibus adde *Marc. 14. v. 15. Luc. 22. v. 12. cap. 24. v. 40. Joh. 20. v. 20. Act. 9. v. 39. Hebr. 8. v. 5.* & loca diverſa *Apocalypſeos:* ac *de Poſteriore*, ex *Luc. 12. v. 5.* (ὑποδείξω δὲ ὑμῖν, oſtendam, aut ut rectiùs habet *Pagninus*, Præmonſtrabo autem Vobis, quem timeatis;) & *Act. 7. v. 3.* Veni in Terram, quam σου δείξω, (monſtravero, aut juxta eundem *Pagninum*, indicavero Tibi.)

§. 7. Ac proinde, *quemadmodum in Latino*, & re ipſa, non unum idemque eſt, *Oſtendere* alicui Urbem aliquam longiùs disſitam, & *Indicare* ipſi eandem, ob Colles, Pagos, & Nemora interpoſita, in loco ἐνδείξεως haud aliàs videndam, ſed Ratiocinio colligendam ex Voce vivi Hermetis, vel Signis in Viâ Regiâ poſitis;

§. 8. cujusmodi Signa ordinariè *Pali* ſolent eſſe, vel *Trabes* quæpiam *Terminales*, Ligneam Manum exſertam gerentes; vel olim fuerunt *Statuæ quædam Viriles Saxeæ*, apud Septentrionales, in nivoſis, Sueciam â Norvvegiâ ſeparantibus, Montibus pôſitæ, ut eſt apud *Olaum Magum* (*lib. 2. Hiſtor. Septentr. cap. 14:*)

§. 9.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°

§. 9. *Sic tota* denique *Phraſis Græca*, paulò cautiùs fuerat, quàm vulgò videmus, Latinè per *Indicationem* potiùs, quæ utrumq; Modum involvit, quàm per *Oſtenſionē*, quæ Ocularis tantummodò eſt, vertenda, & capienda tali pacto, ut Regna Mundi Chriſto oſtenſa dicantur, quotquot intra Horizontem ſenſibilem naturaliter videri poterant. Quod vel liqueſcit ex eo, quod Diabolus Montem præ reliquis excelſum ſibi elegit, ut tantò plura oſtenderet, cum non poſſet omnia; reliqua verò circum circa *indicaret*, per Operationem Mentis ſupplenda. Neque enim Mons adeò excelſus in toto Terrarum Orbe reperitur, ex quo tota unius ſaltem Regni potentioris Latitudo, tantum abeſt, ut Hæmiſphærii totius vel utriusque, Globum Terrenum conſtituentis, poſſit conſpici.

§. 10. Et hæc ipſiſſima, maximèque genuina eſt Græcæ Vocis ſignificatio, indifferenter ſe habens ad rem, quæ demonſtratur; ſive hæc præſens ſit, ſive juxta eandem Lineam directè, ſed longiùs disſita; ut videl. *Digitis* quaſi, in alterutram extenſis, eadem notetur, tanquam Officio tali præcipuè deſtinatis. Unde & Δακτύλȣς vel *Digitos*, quaſi Δεικτύλȣς, vel Demonſtratores, *Becmanuus* (*d. Origin. L. L. pag.* 404.) dici exiſtimat. Maximèque illorum ſecundus a Pollice, tanquam præcipuum τ̃ δέιξεως inſtrumentum, non minùs Græce δεικτικὸς, quàm apud Latinos, *Index* appellatur: indeq; *Indigitare* quoque exortum videtur, tanquam Digito indicare, conſpirans cum eo, quod vulgô dicitur: —— *Pulchrum eſt, Digito monſtrari.* ——

§. 11. Quâ occaſione Quæſtio huc incideret, quantus, juxta Geographos, ſit iſte Circulus, quousque Viſus, præſuppoſitâ Terræ Rotunditate, inque Locis, maximam partem planis, aut ſupra Mare, ſe extendat; diverſam Sen-

tentiæ viam euntibus *Micrælio*, *Gölnitzio*, *Schævio*, *Reyhero*, *Varenio*, *Macrobio*, *Eratoſthene*, *Alberto M.* *Proclo*, & aliis: quæque aut quotuplex ſit Diverſitatis illius ratio?

§. 12. Sed quàm difficile nobis eſt, tacente Scripturâ, Quanta fuerit altitudo *Montis*, in quo ſuſcipiebatur Tentatio, definire; tam Nobis ſufficere poteſt hic, ὑψηλὸν λίαν, vel perquam ſublimem, atque adeò excelſum indubiè fuiſſe, ut ex eo partim coram videri, partim ulteriùs dein per Ratiocinium comprehendi potuerint, præter Judæam, Samariam, Galilæam, Locaque cis ac trans Jordanem reliqua, verſus Boream quidem & Orientem, Mare Mediterraneum, Europa, pars potior Aſiæ, cum Inſulis, verſus Meridiem verò ac Occidentem, Aſiæ partes reliquæ, cum Oceano Chinenſi, Mare Indum, ac Africa.

§. 13. Quorum omnium Umbilicus, Judææ Metropolis, Aſiæ univerſæ decus, & Orbis totius, (tum cogniti) Compendium erat *Sancta Hieruſalem*, in centro quaſi cujusdam Trifolii, ex concurrentibus iſthic Aſiâ, Europâ, & Africâ, concipiendi, divinitus conſtituta, ut æquum eò videlicet pateret Gentium omnium Animabus refugium. Quâ ſitus opportunitate proin & magnificentiâ Diabolus abuſus, non dubitavit, Chriſto, quem tentare ſuſceperat, non verè quidem, aut certò, ſuſpectim tamen pro Filio DEI habito, Regna Mundi, (ſub conditione) promittere, quod facilior ex Monte iſthic vicino eſſet, quàm ex humiliore Deſerti ſede, Proſpectus ad Loca adeò illuſtria.

§. 14. Et has ipſas Ditiones, Monti circumſitas, quotquot earum intra Horizontem viſibilem obſervabantur, ſi peculiariter etiam continere *Mundi vel Orbis titulo* vellemus, non inficetè (quantumvis ex ſuperfluo) facturi ſimus. Nam

&

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°

& hic nobis non defuturæ ſint, ſimiles loquendi rationes Biblicæ.

§. 15. Cujus generis eſt hæc: *1 Johannis 4. v. 1: Multi Pſeudopropheta exierunt in Mundum.* Annon enim jam tum, antequam egrederentur, in Mundo erant? Imò non in Utopiâ, ſed in Mundo utiq; pridem fuerant. Itaque pars Mundi, vel certa ac peculiaris Regio ejusdem, denotatur.

§. 16. Maximè verò hæc, *Lucæ 2. v. 1: Exiit Edictum â Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur univerſus Orbis;* cujus parti tamen vix plenè dominabatur tertiæ. Nam quamvis quinq; gerens Bella Civilia, (*Sueton. cap. 9.*) Mutinenſe nimirum, Philippenſe, (*Idem cap. 13.*) Peruſinum, (*cap. 14.*) Siculum, (*cap. 16.*) & Actiacum, (*cap. 17.*) unde Ægyptum in formam redegit Provinciæ, (*cap. 18.*) duoque alia Externa, cum non minore gloriâ gerens, Dalmaticum (*cap. 20.*) & Cantabricum, (*cap. 21.*) in quo Cantabriam, Aquitaniam, Pannoniam, & Dalmatiam, cum Illyrio omni domuit, Rhætiam item & Vindelicos, ac Salaſſos, Gentes Inalpinas, Dacorumque incurſiones coërcuit; & Germanos ultra Albim Fl. ſummovens, Menſuram Nominis implevit; de Germanis tamen triumfavit magis, cum triſti eminus aſſentatore ſuo *Ovidio* (*lib. 4. Triſt. Elog. 2.*)

Jam fera Cæſaribus Germania, TOTUS ut ORBIS,
Victa, poteſt flexo ſuccubuiſſe genu &c.

quàm verè illos vicit, utut multa ex Nummis Veterum, iſthuc ſpectantia, corradi poſſent; in quibus videlicet Germanorum Scuta, Haſtilia, Labara, Victoriæ alatæ cum Palmâ, eædemvè Cœleſti Sphæræ inſidentes, vel Arcus triumfales, & ſimilia exhibentur, intactis licet ab Eo Germaniæ Viſceribus, intacto Septentrione toto, ejusque Regnis longè vaſtiſſimis, intactaque, quæ nedum tum cognita erat, Americâ. Quin ipſe tantæ

 ſcri-

ſcribitur Princeps fuiſſe Modeſtiæ, ut à nimiùm extendendis Imperii finibus (vide iterum *Sueton. cap. 21.*) quàm - ſeriò ſibi temperarit. Tantum abeſt, ut Cenſus, univerſo Orbi per Cyrenium, conſcribi potuerit. Quin imò *Vocabulum Orbis*, planè ſolùm. (nec ineptè) ad Judæam, Syriamque reſtringi videas, apud *Oſiandrum (in Gloſsâ)* utpote quibus Cyrenius, vel P. Sulpitius Quirinus, ſuffragante *Cluverio (Epit. Hiſtor. pag. 253.)* tum præerat. Aut ſummùm ad Populos, Ditioni Auguſti ſubjectos, eſt extendendum, cum *Dav. Woldero, in Bibliis Hamburgenſibus, (ad Marginem.)*

§. 17. Quapropter totum tandem Diſſertationis hujus Syſtema, quantum quantum hucusq; nobis ſub manu increvit, ad hanc Summam perſpicuè, ac citra hæſitationem, reducimus, dicendo:

„ *Tentare Chriſtum volens Diabolus, in Monte Iudææ,*
„ *neſcio quo? Ipſumque Filium DEI eſſe ſuſpicans, ſed*
„ *non certò ſciens; aſſociavit Eidem ſe, habitu aſſum-*
„ *to Hypocritæ: Illiq; indicavit Regna Mundi, non pi-*
„ *cta in Tabulis, (nam ſufficientes nullæ tum aderant;)*
„ *nec ſpecioſè adumbrata in Aere, (id enim in ipſius*
„ *Viribus non erat;) nec exhibita per Glaucoma (id e-*
„ *nim ad Cæcitatem propior, quàm Viſionem diſtinctam,*
„ *gradus eſt;) nec per Raptum aliquem momentaneum,*
„ *& circumgyrationem, (nam diabolo nullum adhuc,*
„ *ante fatalem Dominicæ Paſſionis Horam, erat in*
„ *Corpus Chriſti, ullo modo, quicquam agendi, arbitri-*
„ *um;) nec per procuratam Viſionem internam, aut*

Ec-

Ecſtaſin, (ob rationem eandem;) nec Myſticè aut „ allegoricè, (nam totus Hiſtoriæ Complexus, interpre- „ tamentum allegoricum non admittit:) ſed verè ex- „ ſtantia, in proprio quaque Loco, & partim circa „ Montem emetienda Oculis, quousque Menſura Ho- „ rizontis ſenſibilis id permittebat, partim Ratiocinio „ ſupplenda, juxta ductum SATANICÆ COSMO- „ DIXEOS: de quâ proinde jam ſit dictum ſatis.

F I N I S.

COROLLARIA,

à Reſpondente adjecta.

I. Quod vulgò de Gradibus quatuor Qualitatum, & tribus illorum Manſionibus ſtatuitur, id exigui Uſus eſſe videtur. Ut enim multo plures in Natura dantur utique, ſic in Medicinâ aliæ non attendendæ, quàm de quibus accuratum Senſus Judicium haberi poteſt.

II. Experientiâ conſtat, Chylum ad Sanguinem delatum, aliquoties cum eô circulari, priusquam intimè eidem unitus, Albedine ſuâ deſtituatur.

III. Condonandum eſt Johanni Gorræo, quod Veteres ſequutus, Lochia habet pro Sanguine Menſtruo, Graviditatis tempore collecto. Neutris enim Circulus Sanguinis clarè tum innotuerat. Potuisſent tamen veram Lochiorum Cauſam facillimè invenire.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°

IV. Quemadmodum Cerebrum nihil aliud eſt, quàm Medulla globoſa, & Spinalis Medulla nihil aliud, quam Cerebrum Spinæ elongatum; utrobiq; enim Similitudo Saponiformis Subſtantiæ habetnr, & progerminationis in Nervos: aut quemadmodum Oculus eſt quædam Melanocamera Naturalis, & Camera Obſcura, Oculus Artificialis; utrobique enim conformis habetur luminoſarum Imaginum Trajectio per Medium diaphanum diverſi generis, ac determinatio in Fundo: aut quemadmodum Scapulæ ſunt quædam Coxendix Humeri, & Oſſa Coxæ, quædam Scapulæ Ventris imi: utrobique enim habetur Arttculatio harmonica Oſſis Humeri, cum Oſſe uno Femoris Oſſium duorum Cubiti, cum Oſſibus duobus Tibiæ, Oſſiculorum Carpi & Metacarpi, cum Oſſiculis Tarſi & Metatarſi; aut deniq; Oſſium, Unguiumque digitorum Manus, cum Oſſibus Unguibusque digitorum Pedis: Ita Humor Pancreaticus, ratione Aquoſitatis ſuæ, Sapiditatis remisſæ, Originis Glandularis, Modi Excretionis in Cavitates amplas, & Uſus Fermentalis, nihil aliud eſſe videtur quàm Saliva Pancreatis, & Saliva communis parum aliud, quam Humor Pancreaticus Palati.

V. Humor Splenicus vulgo Melancholia dictus, & haud aptè a Veteribus pro Succo crasſo, limoſo, & fœculento, quodque omnium maxime facetum eſt, pro Humore ſicco, habitus, nobilius quid eſt, & ordinatus à Naturâ ad conſervandam Fermentationem Sanguinis videtur.

VI. Cauſæ Procatarcticæ, vel Res Non-naturales dictæ, minus convenienter ab Inſtitutioniſtis indiſtinctim inter Cauſas Sanitatis & Morborum externas ponuntur; nam pleræq; harum potius ſunt Internæ.

VII. Omnis Tumor eſt quidem aucta Magnitudo, ſed non contra.

VIII. Plus ordinariè amittimus Excretione illâ, quæ fit per Inſenſibilem Transpirationem, quàm eâ, quæ ſenſibiliter peragitur.

IX. Otioſe Plethora diſtinguitur in eam, quæ ſit ad Vaſa, & eam, quæ ad Vires. Nam utrobique Vires periclitantur.

X. Urinæ non tam præcisè Partem affectam, quàm Cauſæ Interioris conditionem, in variis Partibus exiſtentem, denotant, exceptis paucis quibusdam Caſibus.

XI. Symptomata Symptomatum propriè non dantur; ſed rectius comparare eadem convenit cum fructibus duobus ejusdem arboris, quorum unus altero tardius proveniat; vel cum Rivulis duobus, ex eadem aliqua Scaturigine deductis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°

XII. Fonticuli diutius geſtati, plerumque plus damni, poſtmodum vix medicabilis, afferunt, quàm commodi, cuius perſuaſu excitantur.

Ad Nob. & Præſtantiſſimum Dn.

RESPONDENTEM.

MOntis in excelſo tentatur Chriſtus, & illi,
Quantus erat Mundi Splẽdor, habendus erat.
Tentari ſemet patitur de Monte Cathedræ
STEINIUS: ad Famam non ſatis Orbis erit.

Ita haut vanè auguratur

Disputationis Præſes.

PIeridum adſcendis, STEINI cultisſime, culmen,
Miratur Phœbi Te ſtudioſa cohors.
Pars etiam ſumptâ pharetrâ certare parati:
Sed Palmam invideant pectora nulla Tibi.
Sidereque hac fauſto ſic nunc potiare, precamur,
Semper ut ex illâ pullulet auctus honos.

Nobilisſimo ac Doctisſimo Dn. Reſpondenti, Amico ſingulariter caro & honorando ſcrib.

Philip. Chriſtian. Olearius,
Slesvicenſis.

QUæ Tua, *mi Steini*, fuerit ſolertia, monſtras,
DumCathedram ſcandis non ſine laude Tuâ,

Quæ-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°

Quæque fatigarunt multos, conaris adire,
Et medicus (miror!) dogmata ſacra doces.
Sit felix fauſtusque Tibi, labor iſte, ſit, opto,
Eximium ſemper Nomen in orbe Tuum.

Amici ſui ſuaviſſimi laudabiles conatus voto hoc proſequitur

Tobias Meyer / Str. Pom.
SS. Theol. Stud.

INdigitat Chriſto Satanas pulcerrima Mundi
Regna, ſed imprudens fallitur Arte ſua:
Oſtendunt Docti Laurum Palmamque virentes,
Hisce coronaris ſedulitate Tuâ;
Quæ qualis fuerit, monſtras, dum ritè Cathedram
Impiger adſcendis, Laude potitus abis.
Ergo, velut dudum cœpiſti, *dulcis Amice*,
Perge, Laborantis Fama perennis erit!

Ita Nobiliſſ. Dn Reſpondenti, Amico ſuo honoratiſſimo, gratulari voluit

Jacobus Pantel, Stral. Pom.
Theol. Cultor.

DUm Salvatoris Chriſti tentamina tangis,
Dum das prudenti tot proba verba gregi;
Nil mortale ſapis, Steini, ſed pectore Numen,
Sed Numen lingua, mente, animoque refers.
Cum referas Numen, Numen Tibi præmia fiet.
Tu pretioſa tamen præmia ſero pete.

Gratulabundus fecit

Cajus Rehling,
Med. Stud.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-214 4°